DE

COMOEDIAE ATTICAE PROLOGIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS FRANTZ

Rhenanus.

AUGUSTAE TREVERORUM

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FRIDERICI LINTZ.

MDCCCLXXXXI.

DE

COMOEDIAE ATTICAE PROLOGIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS FRANTZ

Rhenanus.

AUGUSTAE TREVERORUM

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FRIDERICI LINTZ.

MDCCCLXXXXI.

Von der Facultät genehmigt am 26. Juli 1890.

PARENTIBUS

SACRUM.

Veteris comoediae Graecae qualem ex Aristophanis inprimis fabulis quae supersunt novimus facile quod ad argumentum attinet quinque partes distinguuntur: prologus, parodus, agon quem Zielinski vocavit, cuius locum in Acharnensibus certo adversario Dicaeopolidi non opposito longa illa oratio ad spectatores habita tenet, parabasis, postremo scaenae illae ioculares quas Aristophanes plerumque post parabasim, rarius iam in priore fabulae parte ponit[1]. Quibus ex partibus parabasis plane per se stat, ceterae quattuor inter se cohaerent. Atque in prologo quidem parodoque solis fere nititur summa argumenti. Excipere solet parodum agon, id est verborum inter duos homines certamen, quo id tantum agitur, ut alter ad alterius sententiam perducatur; ipsa autem fabula dum illi certant intermittitur. Nihil iam reliquum esse videtur; sed sequi solent nonnullae scaenae neque inter se satis arte connexae neque cum fabulae argumento, quibus eius hominis quem antea spectatores ad aliam vitae degendae rationem se convertisse viderunt status habitusque qui nunc sit depingitur. — Ex brevi hac descriptione apparet esse veterum illarum comoediarum — dico Acharnenses Equites Nubes Vespas Pacem Aves — inconcinnitatem et inaequalitatem quandam ex natura singularum partium nimis in se ipsis positarum neque satis inter se coniunctarum et consonantium ortam. Explicandam autem esse hanc rem non poetarum mediocritate ingeniique defectu, sed ad ipsius comoediae originem revocandam

[1] Partes quattuor easque alias affert auctor *περὶ κωμῳδίας* IXa (Studemund, Philol. XLVI p. 13 v. 26 sq. Conferatur Bernays, Zwei Abhandlungen über die Aristotelische Theorie des Drama p. 139 § 5): *ἔτι ἰστέον ὅτι κατὰ Διονύσιον καὶ Κράτητα καὶ Εὐκλείδην μέρη κωμῳδίας εἰσὶ τέσσαρα· πρόλογος, μέλος χοροῦ, ἐπεισόδιον καὶ ἔξοδος.* Iam primo obtutu vides esse haec eadem quae Aristoteles de tragoediae partibus statuerit. Discrimen autem quod inter comoediam et tragoediam intercedit illi omnino non curaverunt Conferas Bernaysium l. s. p. 167 adnot.

esse pro certo haberi potest. 'Iam vitium hoc cum sentirent ipsi poetae sanare studuerunt. Quod dilucide ex Aristophanis fabulis posterioribus, inprimis Lysistrata Thesmophoriazusis Ranis intellegitur. Ac primum quidem cum antea chorus parabasim recitans argumentum fabulae plane relinquere et ad res prorsus alienas se convertere soleret, nunc parabasis aut ad argumentum propius accedit (Av., Thesm.) aut omittitur. Deinde cum in plerisque [1] prioris aetatis fabulis argumento aut ante aut post agonem iam absoluto sequentes partes cum prioribus satis male cohaererent et minimi momenti esse viderentur, Aristophanes in Lysistrata Thesmophoriazusis Ranis rem ita instituit, ut in ipso demum fabulae exitu argumentum quoque absolvatur. Difficultatis autem inde natae remedium in Ranis illud invenit, ut non in priore sed in posteriore fabulae parte agonem poneret. Minus autem feliciter res ei cessit in Lysistrata et Thesmophoriazusis. In Lysistrata viri eo quod mulieres se illis negare constituerunt pacem pangere coguntur, quae summa rei est. Agitur hoc in vv. 1—239 et 706—1321. Intercedit autem chori parodus, quam sequitur Lysistratae cum probulo altercatio. Quae pars minimum ad argumentum valet, cum contentio illa non modo rem non conficiat sed omnino successu

---

[1] Si accurate singulas fabulas spectamus, duo tamquam ordines distinguendi sunt. Alteri adscribo Acharnenses Vespas Pacem Aves, quae comoediae cum post parabasim nihil iam sequatur nisi scaenae illae ridiculariae quales supra descripsimus, exitu concluduntur haud ita apto neque argumenti gravitate digno. Contra prorsus diversa est condicio et Equitum et Nubium. Utriusque enim argumentum non nisi ipso fabulae exitu finitur. Nam in Equitibus ad extremum Demus senex dimisso Cleone in iuvenilem vigorem ab isiciario redactus magnifica pompa in scaenam redit, indeque pulcherrimum finem fabula capit. In Nubium autem exitu Strepsiades postquam quales ex Socratis disciplina fructus percipiantur intellexit, dignam ei solvit mercedem. Sed primum quidem ipse iam Aristophanes sese multa in Nubibus novasse et artem comicam valde promovisse non ignorabat, ita ut hanc fabulam optimam inter omnes esse censeret. Legas Nub. v. 522 sq. Vesp. 1047 sq. Deinde apparet in posteriore Nubium parte multa inesse quae alteri demum recensioni debeantur: quod expressis verbis de exordio traditur in argumento VI. — Similiter res se habet in Equitibus. Kirchhoffius enim in Hermae vol. XIII. inde a p. 287 gravibus causis, quibus aliae addi possunt, demonstravit non modo parabasim alteram, sed totam partem insequentem postea demum aut ab ipso Aristophane aut ab Eupoli fabulae additam esse. Itaque duae hae comoediae ea quae supra diximus non redarguunt.

careat, ita ut duae partes inimicissimae remaneant. Cum tamen comoediae ratio flagitaret, ut ad postremum chori quoque pars ex senibus composita cum mulieribus in gratiam rediret, poeta cantico quod legitur inde a. v. 1014 usque ad v. 1042 huic officio satis strictim et breviter quamquam non inepte satisfacit. — Eadem res etiam clarius elucet in Thesmophoriazusis, cuius fabulae fundamentum sunt Euripidis cum mulieribus inimicitiae. Cum autem in contione haec non componantur posteaque id solummodo agatur, ut socer ex Scythae manibus liberetur, poeta undecim versibus omnibus (1160—1171) iisque prorsus extrinsecus illatis eam rem in qua fabula tamquam in cardine vertitur postea conficit. — Deinde studio illi singulas partes magis inter se connectendi illud quoque dandum est, quod actores magis magisque a spectatoribus se avertunt et inter se fabulam agunt. Nam in vetustioribus fabulis certa inveniuntur vestigia ex illa aetate residua, qua ludii omnia fere ad populum conversi agebant [1]. Cuius generis est Dicaeopolis in Ach. oratio ad populum habita [2], Eq. v. 36 sq., Vesp. v. 54 sq., Pac. v. 20 sq., Av. v. 30 sq. Contra in Nub., deinde in Lys. Thesm. Ran. rara haec.

Iam cum in fabulis superstitibus nonnulla etiamnunc vestigia artis paullatim adolescentis statui posse viderimus, quaeritur num de ipsa comoediae origine aliquid inde coniectare possimus. Et e quinque illis partibus quas supra distinximus primum quidem prologum et scaenas ioculares satis recenti aetate in comoediam

---

[1] Cf. Athen. XIV 622 d.

[2] Acharnenses autem non modo e vetustissimis Aristophanis fabulis est, sed antiquitatis speciem quoque quandam prae se fert. Quam in rem id optime quadrat, quod magna ei est cum Cratini Pastoribus similitudo. Illa enim in fabula Cratinus eundem in modum de suis ipse rebus longiore oratione ex trimetris iambicis composita ad populum locutus esse videtur. Conferas frg. 15 ab Athenaeo (XIV. 638 f.) traditum:

ὃς οὐκ ἔδωκ᾽ αἰτοῦντι Σοφοκλέει χορόν,
τῷ Κλεομάχου δ᾽, ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ
ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ᾽ ἂν εἰς Ἀδώνια,

cum iis quae Hesychius tradit (frg. 18. sequor Crusium, Philol. XLVII. p. 34): *πῦρ παρέγχει· Κρατῖνος, ἀπὸ διθυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος . . . ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε· ἐπὶ τοῦ ἄρχοντος ἔστιν, ὃν ᾐτήκει.* Et illud quoque Cratini fabulae cum Acharnensibus commune est, quod oratio illa non in prologo sed in ipso fabulae tenore posita fuit. Nam ex fragmento 18 prologum omnino defuisse colligere licet.

recepta esse putandum est. De prologo hoc efficiendum est cum aliis ex rebus tum ex ipsius Aristotelis verbis quae leguntur in Poet. cap. V: τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ προλόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται. Scaenis autem illis quae post parabasim plerumque positae ipsae quoque illo metro conscriptae sunt quod ex tragoedia demum in comoediam translatum esse videtur, semper fere aliquid inest unde tragoediae imitatione eas niti cognosci potest. Sic in Vespis inde a. v. 1292 usque ad v. 1449 et inde a v. 1474 usque ad v. 1515 Xanthias easdem partes agit quas in tragoedia ἐξάγγελος. Nuntiat quae mala intus facta sint, deinde senex ipse de quo nuntiavit in populi conspectum venit. Chorus autem plane ut tragicus inde a v. 1450 canticum recitat quod in personarum primarum fortuna atque condicione consideranda versatur [1]. Exempli gratia conferas Euripideae Alcestis scaenam illam quae incipit inde a v. 747 et Sophocleae Oedipi regis versus inde a 1223. — Restant parodus, agon, parabasis. Parodus in omnibus Aristophanis fabulis quae priore eius aetate scriptae sunt tam arte cum prologo cohaeret et tantopere ex illo pendet, ut simul nata esse censenda sit. Composita autem est ad parabasis exemplum, ita tamen ut eius leges non accurate diligenterque observentur. Idem in agonem cadit, quem et ipsum haud ita vetustum esse multis argumentis probari potest. Quorum gravissimum id est quod non modo antiquissima quam habemus fabula, Acharnenses, sed aliae quoque hac parte prorsus carent. Quae cum ita sint, recte plerique viri docti ea in re inter se consentiunt quod comoediae qualem nos novimus vetustissimam partem esse arbitrantur parabasim, quae certis quibusdam legibus iisque semper accuratissime observatis composita est. Iam si de vetustissimarum comoediarum forma qualis fuerit coniecturam periclitari licet, videntur praeter parabasim nihil habuisse nisi cavillationes atque facetias adversus populum prolatas. Fuit autem haec ea aetas qua nondum inventa erant, ut Aristoteles ait, πρόσωπα et πρόλογοι et πλήθη ὑποκριτῶν. Hanc autem aetatem non ita longe a bello Pelopon-

---

[1] Omnino semper in his scaenis chorus comicam personam prorsus abicit et tragico more agit. Nam neque unquam ipsi actioni se immiscet quod in priore fabulae parte facere solet, neque ex Acharnensibus vel Equitibus vel Nubibus vel Vespis vel agricolis constat: sunt nihil nisi homines qui ea quae in scaena aguntur spectant et animo suo deliberant.

nesiaco afuisse ex eiusdem Aristotelis verbis colligi potest. Pergit enim sic: τὸ δὲ μύθους ποιεῖν (scil. ἀπέδωκεν) Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις· τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθεν, τῶν δὲ Ἀθήνησιν Κράτης πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους. Qua cum re optime congruunt ea quae ipse Aristophanes in Equitibus inde a v. 520 de Magnete profert:

. . . . Μάγνης . . . .,
ὃς πλεῖστα χορῶν τῶν ἀντιπάλων νίκης ἔστησε τροπαῖα·
πάσας δ'ὑμῖν φωνὰς ἱεὶς καὶ ψάλλων καὶ πτερυγίζων
καὶ λυδίζων καὶ ψηνίζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις
οὐκ ἐξήρκεσεν, ἀλλὰ τελευτῶν ἐπὶ γήρως, οὐ γὰρ ἐφ' ἥβης,
ἐξεβλήθη πρεσβύτης ὤν, ὅτι τοῦ σκώπτειν ἀπελείφθη.

His enim versibus nihil nisi chori parabasis et τὸ σκώπτειν commemoratur, argumentorum et καινῶν ἰδεῶν quas se ipse maxime invenisse saepe gloriatur[1] mentio non fit. Deinde hanc in sententiam mire quadrat Cratini quoque fragmentum (306 Kock) quod Aristides servavit. Dicit enim or. 49 p. 386 ed. Jebb.: ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος μεγαλαυχούμενος ὡς προφήτης προαγορεύει τοιάδε·

ἀφυπνίζεσθαι χρὴ πάντα θεατήν,
ἀπὸ μὲν βλεφάρων αὐθημερινῶν ποιητῶν λῆρον ἀφέντα.

Hi igitur versus ut in initio fabulae positi fuisse diserte traduntur, ita non modo quod ad metrum, sed etiam quod ad argumentum attinet clarissime parabasis speciem prae se ferunt. Legas Equitum vv. 503 sq., Vesp. vv. 1010 sq. Inde autem sequitur Cratini illam comoediam cuius in initio hi versus fuerunt prorsus alius generis fuisse atque Aristophaneas, quae quomodo sic ordiri possint vix excogitabis.

Quantopere totam comoediae condicionem prologo invento mutatam esse censendum sit inde efficitur, quod in nonnullis quas nos habemus fabulis iisque vetustissimis in prologo quasi in fundamento totum fere argumentum positum est. Cuius rei luculentum exemplum praebent Acharnenses. Huius fabulae in exordio Dicaeopolis secum ipse colloquens quid rei sit aperit. Paulo post contione facta postquam oratorum qui populum ad bellum incitant consilia ad irritum redigere studuit neque tamen quidquam profecit, ipse iam privatim cum Lacedaemoniis pacem

[1] Cf. Nub. 547 sq., Vesp 1051 sq.

pangit, qua facta Dionysia agrestia celebrat. Haec omnia continet prologus. Quae sequuntur ad rem parvi momenti sunt: sunt enim dicta, non facta: chorus qui primum vehementissime paci obstiterat, Dicaeopolis oratione commotus ad eius partes transit. Deinde compluribus scaenis quanta commoda pax afferat demonstratur. — Simili modo Vesparum quoque et Pacis prologi magnam argumenti partem complectuntur.

Quod si quaerimus quae sit horum prologorum forma, ex iis quae modo exposuimus elucet certa genera earum tantummodo partium quae expositionem quam dicimus continent distingui posse, cum illae quibus res aguntur pro fabulae diversitate ipsae quoque prorsus diversae indolis esse soleant. Sic scaenae illi quae legitur in Acharnensibus inde a v. 40 nihil est cum Nubium vv. 80 sq., nihil cum Vesparum vv. 143 sq., aliis. — Ipsius autem expositionis in antiquioribus Aristophanis fabulis duo genera sunt distinguenda. Quorum alterum occurrit in Acharnensibus et in Nubibus, ubi ea persona quae primas partes agit in principio per soliloquium spectatores de iis rebus quae ad intellegendam fabulam opus sunt certiores facit. Alterum genus tribus comoediis adhibitum invenimus, Equitibus Vespis Paci. Haec initium capiunt a duorum servorum qui ad argumentum minoris momenti sunt diverbio, quae ipsius actionis iam pars est. Deinde alter ad spectatores conversus argumentum narrando exponit. Iam redeunt ad actionem. Itaque ipsa narratio quasi velatur scaenis vere dramaticis. — Proxime hanc ad rationem Avium prologus accedit, ubi tamen eae personae quae rem expediunt primarias partes tenent. Deinde eodem modo comparatam fuisse Platonis Hyperboli expositionem discimus ex scholio ad Aristophanis Thesmophoriazusarum v. 808 adscripto. Ibi enim de Εὐβούλη nomine haec scholiasta dicit: οὐκ ἔστι σαφές (scil. quid velit illud nomen)· ἀλλ' οὐδὲ παρὰ Πλάτωνι ἐν τῷ Ὑπερβόλῳ· λέγει γάρ τι περὶ τοῦ ἐπιλαγχάνειν τοῖς βουλευταῖς (frg. 166, 167)·

εὐτυχεῖς, ὦ δέσποτα.
— τί δ' ἔστι; — βουλεύειν ὀλίγου ἔλαχες πάνυ.
ἀτὰρ οὐ λαχὼν ὅμως ἔλαχες, ἢν νοῦν ἔχῃς.
— πῶς ἢν ἔχω νοῦν; — ὅτι πονηρῷ καὶ ξένῳ
ἐπέλαχες ἀνδρί, οὐδέπω γὰρ ἐλευθέρῳ.

καὶ ἐν ταὐτῷ·

— ἅπερρ'· ἐγὼ δ'ὑμῖν τὸ πρᾶγμα δὴ φράσω·
Ὑπερβόλῳ βουλῆς γάρ, ἄνδρες, ἐπέλαχον.

De fragmenti in fabula integra sede recte viri docti iudicaverunt. Initium igitur Hyperbolus quoque a diverbio cepit; sequebatur argumenti narratio. Memorabile autem est quod haec fabula eodem fere tempore (circa annum 418) acta est quo Aristophaneae illae quarum prologos similem in modum comparatos esse vidimus. Et illi tempori eiusdem Platonis aliam quoque fabulam, Symmachiam, viri docti tribuunt quam similem prologum habuisse efficiendum videtur ex illis quae Priscianus 18, 170 affert: *abundat enim* γάρ· Πλάτων ἢ Κάνθαρος Συμμαχίᾳ οὕτως ἤρξατο (frg. 152)·

ἐγὼ γὰρ ὑμῖν ἣν φράσω.

Certe illud iam videmus hanc comoedias exordiendi rationem ea potissimum aetate late patuisse.

Quaerendum nunc est unde duo haec prologi genera fluxerint. Atque prioris quidem illius quod Acharnensibus et Nubibus Aristophanes adhibuit quae sit origo apertissime cognoscitur. Personae enim eae quae primae in scaenam procedunt lamentantes exponunt quantis malis obrutae sint quaeruntque quomodo ex iis liberare sese possint. Iam si conferas tales Euripidis prologos quales sunt Heraclidarum Andromachae Herculis, non dubitabis quin Aristophanes huiusmodi exordia ante oculos habuerit. — Liberius magisque comoediae proprium alterum genus est. Sed hoc quoque quamquam a poetis comicis ipsorum in usum satis mutatum esse apparet originem traxisse putandum est e tragoedia. Quod maxime ex Vespis et Pace cognoscitur, ubi servus domini morbum dolens argumentum exponit. Idem enim fit in antiquissimis tribus fabulis Euripideis, Alcesti Medea Hippolyto, quae non modo eodem fere temporis spatio scriptae sunt sed etiam in eodem argumento, mulieris in morbo versantur. De erae autem condicione spectatores certiores fiunt a nutrice sollicita [1].

---

[1] Adnoto quod hoc expositionis genus inter omnes fabulas Sophocleas in una Aiace, quae eodem fere tempore acta esse videtur, occurrit, ubi Tecmessa similes partes agit atque apud Euripidem nutrix. Aliud quoque non indignum est quod animadvertatur: his omnibus enim in fabulis (Soph. Ai., Eur. Alc. Med. Hipp., Ar. Vesp. Pac.) summa argumenti posita est in morbo eius personae quae primarias partes agit. Contra argumenta omnium cete-

Sed non solum in universum Aristophanes Euripidis prologos secutus est, sed in minoribus quoque rebus modo illudendi et iocandi causa, modo sine parodiae consilio illius vestigia pressit. Cuius rei nonnulla exempla afferre lubet. In Nubibus Strepsiades narrat filii sumptibus et rei equestris studiis nimiis rem familiarem suam periisse. Iam audiunt spectatores Phidippidem ipsum de equis somniantem. Et Strepsiades (v. 26):

τοῦτ' ἔστι, inquit, τουτὶ τὸ κακὸν ὅ μ'ἀπολώλεκεν.

Plane in eundem modum servus in Pace postquam erum, cuius de morbo antea egit, ἔα ἔα clamantem et Iovem invocantem audivit, sic pergit (64):

τοῦτ' ἔστι τουτὶ τὸ κακὸν αὔθ' οὑγὼ ἔλεγον.

Nemo non videt haec comparata esse ad tragoediae similitudinem, velut in Medea nutrix extra domum progressa de erae calamitate verba facit illaque intus lamentante addit (98 sq.):

τόδ' ἐκεῖνο, φίλοι παῖδες· μήτηρ
κινεῖ κραδίαν, κινεῖ δὲ χόλον.

Simile exemplum praebet Sophoclis Aiax, ubi dum Tecmessa cum choro foris de Aiacis statu colloquitur, ipse intus (v. 333 sq.) ἰώ μοί μοι et ἰὼ παῖ παῖ et alia vociferatur. Mulier autem

τάχ', ὡς ἔοικε, inquit, μᾶλλον (scil. laborabit)· ἢ οὐκ ἠκούσατε
Αἴαντος οἵαν τήνδε θωΰσσει βοήν;

et deinde plane ut Strepsiades ad singulas Aiacis exclamationes responsa adnectit. — Porro longam illam orationem qua in Vespis servus Philocleonis condicionem describit ad tragoediae exemplum institutam esse neminem fugere potest. Legas Sophocleae Aiacis inde a v. 285, Euripideae Medeae inde a v. 20, Alcestidis inde a v. 152. Hunc praecipue in modum Euripidem saepe expositionem instituisse Stheneboea quoque testimonio est, cuius simile exordium fuisse ex versu illo concludere possumus quem Aristophanes suae fabulae inseruit: est v. 111:

τοιαῦτ' ἀλύει· νουθετούμενος δ' ἔρως
μᾶλλον πιέζει.

— Deinde tragico more compositus est totus Pacis prologus. Postquam servus spectatores de domini morbo certiores fecit,

---

rarum fabularum Graecarum excepta fortasse Euripidis Hercule prorsus diversa sunt. — Intercedunt autem aliis quoque in rebus, maxime quod ad componendi rationem attinet, gravissimae similitudines inter Aiacem et Euripidis fabulas illa aetate actas, quarum una paulo post commemorabitur.

illius ipsius verba audiuntur. Utitur autem Trygaeus anapaestis. Quae ratio quin desumpta sit ex tragoedia nullo modo dubitare poterit, qui plane aequalem Medeae locum legerit inde a v. 96. Deinde servus ut dominum avolare se parantem retineat filiolas advocat. Cf. v. 111 sq.:

ὦ παιδί', ὁ πατὴρ ἀπολιπὼν ἀπέρχεται
ὑμᾶς ἐρήμους εἰς τὸν οὐρανὸν λάθρᾳ.
ἀλλ' ἀντιβολεῖτε τὸν πατέρ', ὦ κακοδαίμονα.

Simili modo in vetustioribus maxime Euripidis fabulis liberi aut in scaenam producuntur (Alc., Med. aliae), aut alicuius saltem momenti ad rem sunt (Hipp. 304 sq.). — Is quoque Pacis locus qui sequitur (124 sq.) ad tragoediae normam compositus est. Spectatores eo modo de rebus ad argumentum intellegendum necessariis certiores fiunt, ut altera semper persona interroget, altera respondeat; singulae autem personae singulos binosve versus pronuntiant. Quod genus in comoedia nisi ludendi causa usurpatum raro invenies, saepe in tragoedia. Cf. Eur. Hipp. 88 sq. 311 sq. alia. — Postremo commemorandus est Equitum locus. Duo servi illi qui primi in scaenam veniunt tantam in miseriam adductos se esse fingunt, ut ad deos confugere coacti sint. Legas v. 30 et sequentem:

κράτιστα τοίνυν τῶν παρόντων ἐστὶ νῷν,
θεῶν ἰόντε προσπεσεῖν του πρὸς βρέτας.

Quo consilio rursus abiecto nihil iam relinquitur nisi ut voluntariam mortem sibi consciscant. Quae condicio tragoediae propria est. Exempli gratia affero Euripidis — nam hic inprimis talia in deliciis habebat — Andromacham, cuius fabulae in exordio mulier illa supplex in Thetidis delubro sedens haec profert (v. 113):

ὤμοι ἐγὼ μελέα, τί μ' ἐχρῆν ἔτι φέγγος ὁρᾶσθαι;[1]

---

[1] Sed operae pretium esse videtur accuratius in Equitum locum illum inquirere. Inde a v. 80 haec legimus:

κράτιστον οὖν νῷν ἀποθανεῖν. — ἀλλὰ σκόπει,
ὅπως ἂν ἀποθάνωμεν ἀνδρικώτατα.
— πῶς δῆτα πῶς γένοιτ' ἂν ἀνδρικώτατα;
βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν.
ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.

Ad v. 84 cum multa alia tum hoc adnotatum est: *ἔστι γοῦν ἀπὸ Σοφοκλέους Ἑλένης* (Nauck frg. 663)·

ἐμοὶ δὲ λῷστον αἷμα ταύρειον πιεῖν
καὶ † μη γε πλείω τῶνδ' ἔχειν δυσφημίας.

— Ut minora quoque afferam, saepissime comici in prologis maxime vel versus tragicos suum in usum vertebant, vel cothurni

---

Re vera ex Helena fabula Aristophanem illa deprompsisse aliunde quoque colligi potest. Quamquam enim sententia et locutio illa apud Euripidem tritissima est — affero Cyclopis v. 201: *ἀλλ' εἰ θανεῖν δεῖ, κατθανούμεθ' εὐγενῶς*, Iph. T. 321 *θανούμεθ', ἀλλ' ὅπως θανούμεθα | κάλλισθ'.*, Hipp. 400: *κατθανεῖν ἔδοξέ μοι | κράτιστον*, quem locum Aristophanem imitari Kockius putat — tamen longe proxime accedit ipsa Euripidea Helena. Hac enim in fabula inde a v. 298 haec leguntur:

θανεῖν κράτιστον· πῶς θάνοιμ' ἂν οὖν καλῶς;
ἀσχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι,
κἀν τοῖσι δούλοις δυσπρεπὲς νομίζεται·
301 *σφαγαὶ δ' ἔχουσιν εὐγενές τι καὶ καλόν,*
σμικρὸς δ' ὁ καιρὸς κρᾶτ' ἀπαλλάξαι βίον.

Quae mire cum Equitum versibus concinunt. Utroque loco iisdem fere verbis quaeritur quae sit honestissima mors, et singula eius genera inter se comparantur unique palma datur. Itaque Aristophanea illa et cum Sophoclis Helena et cum Euripidea aliquo vinculo cohaerent. Accedit aliud: versus Sophoclei a scholiasta allati tantopere condicioni Euripideae Helenae respondent, ut in locum versuum 301 et sequentis substitui fere possint. Nam eodem modo quo apud Euripidem Helena antea de mala fama sua questa est, qua in re quasi in cardine omnes fere eius querimoniae versantur — legas v. 66: *εἰ καθ' Ἑλλάδ' ὄνομα δυσκλεὲς φέρω*, 223 sq.: *διὰ δὲ πόλεας ἔρχεται | βάξις, ἅ σε βαρβάροισι | λέχεσι, πότνια, παραδίδωσιν*, 250 sq.: *τὸ δ' ἐμὸν ὄνομα παρὰ Σιμουντίοις ῥοαῖσι | ματίδιον ἔχει φάτιν*, 270: *πρῶτον μὲν οὐκ οὖσ' ἄδικος, εἰμὶ δυσκλεής.* — illo loco talia antecessisse ex versu altero: *καὶ μη γε πλείω τῶνδ' ἔχειν δυσφημίας* elucet. Iam apparet aliquam rationem intercedere inter Euripidis Helenam et Sophoclis fabulam in qua illi versus fuerunt. Quod alia quoque re confirmari videtur: apud Euripidem Helena in exordio fabulae ad locum sacrum confugit, ut deorum fidem imploraret: sed de salute desperans mortem sibi consciscere vult. Eadem est condicio servorum in Ar. Eq. Legas v. 30 sq. Itaque cum propter temporum rationes poeta comicus Euripidem secutus esse nequeat, veri non dissimile est hanc quoque rem depromptam esse ex Sophoclis fabula Iam quaeritur quae fuerit illa fabula Sophoclea quam et Aristophanes et Euripides ante oculos habuisse putandus est. Sophoclis *Ἑλένη* excepto hoc loco prorsus ignoratur. Contra novimus tres fabulas quae in censum venire videantur. Sunt *Λάκαιναι*, *Ἑλένης γάμος* satyrica, *Ἑλένης ἀπαίτησις*. Et de illis duabus quidem cogitare non licet. Contra ad hanc Nauckius duos versus illos de quibus agimus refert. Quod mihi vix videtur verum esse. *Ἑλένης* enim *ἀπαίτησις* versata est in Helena ante bellum per Menelaum et Ulixem a Troianis repetenda. Eius autem fabulae in qua haec posita fuerint argumentum simile fuisse censeo atque Euripideae Helenae, ubi mulier immerito infamis esse fingitur. Quocum optime convenit quod scholiasta illam fabulam simpliciter *Ἑλένη* appellat, quod Euripideae quoque nomen est. Porro cum non modo duobus his versibus, sed iis quoque quae illa in fabula praecedebant magnam cum Euripidis Helena similitudinem

dicendi genus imitando irridebant. Sic tragici coloris sunt Acharnensium versus inde ab 28:

ἐγὼ δ' ἀεὶ πρώτιστος εἰς ἐκκλησίαν
νοστῶν κάθημαι· κᾆτ' ἐπειδὰν ὦ μόνος,
στένω, κέχηνα, σκορδινῶμαι, πέρδομαι,
ἀπορῶ, γράφω, παρατίλλομαι, λογίζομαι,

quibuscum conferas Electrae Sophocleae v. 282 sq.:

ἐγὼ δ' ὁρῶσ' ἡ δύσμορος κατὰ στέγας
κλαίω, τέτηκα κἀπικωκύω κτλ.

deinde Nubium v. 41:

φεῦ.
εἴθ' ὤφελ' ἡ προμνήστρι' ἀπολέσθαι κακῶς,

ex quo poeta argumenti narrationem incipit secutus Medeae v. 1:

εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος.

et multa alia.

Vetustiorum comoediarum prologi non modo id commune habent quod multa iis impressa sunt tragicae originis vestigia, sed inter se ipsae quoque valde sunt similes. Quod maxime in alterum genus cadit, cui Equites Vespas Pacem Aves ex Aristophaneis fabulis adscripsimus. Hi enim prologi primum quod ad universam compositionis formam attinet mire inter se congruunt. Qua de re cum supra iam actum sit, nunc hoc unum addo quod neque in Equitibus neque in Vespis neque in Pace duorum servorum alter post prologum in scaenam redit. Itaque non ita scite poeta id tantum egit, ut fabula a diverbio initium caperet. Sed etiam quod ad minores res et ipsa verba attinet Aristophanes saepe Aristophanem compilavit. Exempli gratia paucos tantummodo locos ex magno numero affero. Et Equitum et

---

fuisse statuerimus, si vera esset Nauckii sententia, cogeremus credere Euripidem in componenda Helena alius poetae fabulam, cuius argumentum prorsus aliud fuerit, accurate imitatum esse. Iam si recte haec disputata sunt, iudicandum esse videtur ante annum 424 Sophoclis Helenam actam esse, quae in eodem fere argumento versaretur in quo Euripidea. Quod ut credat tamen non ita facile quisquam animum inducet. Nam si verum hoc sit, facere non poterimus quin Sophoclem primum vulgarem fabulae formam satis audacter deseruisse, Euripidem autem eius vestigia pressisse putemus, cum tamen satis constet Euripidem maxime talia novare solitum fuisse. Itaque quocunque modo rem volutas, tantae difficultates oriuntur ut equidem quid statuendum sit prorsus ignorem.

Vesparum in principio alter servus ex altero quomodo se habeat quaerit. Conferas Equitum v. 7 et seq.:

. . . . . . ὦ κακόδαιμον, πῶς ἔχεις;
— κακῶς καθάπερ σύ.

cum Vesparum v. 1 et 10:

Οὗτος, τί πάσχεις, ὦ κακόδαιμον Ξανθία;
— τὸν αὐτὸν ἄρ' ἐμοὶ βουκολεῖς Σαβάζιον.

Argumenti narratio in utraque fabula ab iisdem fere verbis orditur. Legas Eq. v. 36:

βούλει τὸ πρᾶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω;

et 40:

λέγοιμ' ἂν ἤδη· νῷν γάρ ἐστι δεσπότης κτλ.,

Vesparum v. 54:

φέρε νυν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον,

et 67:

ἔστιν γὰρ ἡμῖν δεσπότης ἐκεινοσὶ κτλ.

Similia in Pace. — Chori adventus in Vespis hunc in modum nuntiatur (214 sq.):

ἀλλ', ὦ πονήρ', ἥξουσιν ὀλίγον ὕστερον
οἱ ξυνδικασταὶ παρακαλοῦντες τουτονί.

Quibus respondent ea quae in Equitibus inde a v. 225 leguntur:

ἀλλ' εἰσὶν ἱππῆς ἄνδρες ἀγαθοὶ χίλιοι
μισοῦντες αὐτὸν οἳ βοηθήσουσί σοι.[1]

— Deinde idem iocus occurrit et in Equitum et in Avium prologo: conferas Equitum versus inde ab 163 cum Avium vv. 174 sq. Cum enim altera persona alteram admoneat, ut totam regionem quam subiectam ei fore promittit circumspectet, illa respondet (Eq. 175):

εὐδαιμονήσω δ' εἰ διαστραφήσομαι;

vel (Av. 177):

ἀπολαύσομαί τι δ', εἰ διαστραφήσομαι;

Eandem autem rem suo iure viri docti iudicaverunt Eupolidis quoque loco subesse quem Stephanus Byz. s. v. Μαριανδυνία servavit:

ὁρῶ. — θεῶ νῦν τήνδε Μαριανδυνίαν.

quae cum Eq. v. 171 et Av. v. 176 mire congruunt. Depromptus autem est hic locus ex fabula Χρυσοῦν γένος quae inscripta

---

[1] Vide epimetrum I.

erat, quae ipsa quoque illa aetate (circa annum 422) acta est. — Alia exempla afferre supersedeo. Sed etiam alter poeta alterum compilare solebat. Athenaeus III. 124d haec tradit: καὶ ὁ Λύσιππος ἐν Βάκχαις (frg. 1)·

Ἕρμων, τί ἔστι; πῶς ἔχομεν; — τί δ᾽ ἄλλο γ᾽ ἢ
ὁ πατὴρ ἄνωθεν ἐς τὸ φρέαρ, ἐμοὶ δοκεῖν,
ὥσπερ τὸν οἶνον τοῦ θέρους καθεῖκέ με.

Quae si cum Equitum et Vesparum initiis supra allatis conferimus, facile adducimur, ut ipsa quoque in principio fabulae fuisse censeamus: loquuntur duo homines quorum alter alterum quomodo se habeat interrogat. — Deinde iis quae argumenti narrationi Aristophanes in Pace praemittit (v. 43 sq.):

οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι
νεανίας δοκησίσοφος, τὸ δὲ πρᾶγμα τί;
ὁ κάνθαρος δὲ πρὸς τί; κᾆτ᾽ αὐτῷ γ᾽ ἀνὴρ
Ἰωνικός τίς φησι παρακαθήμενος κτλ.

simillima sunt quae ex Pherecratis fabula Ψευδηρακλῆς quae inscripta fuit (frg. 154) Athenaeus III. 122e servavit:

εἴποι τις ἂν τῶν πάνυ δοκησιδεξίων·[1]
ἐγὼ δ᾽ἂν ἀντείποιμι ‛μὴ πολυπραγμόνει,
ἀλλ᾽ εἰ δοκεῖ σοι, πρόσεχε τὸν νοῦν κἀκροῶ᾽,

quem locum ex prologo desumptum esse apparet. Conferas Cratini quoque fragmentum 307[2]. — Appropinquantem iam

[1] Ceterum dubito num recte Kockius post hunc versum hiatum statuerit. Poterant enim illa verba praecedere. Conferas Cratini frg. 307 v. 1:

. . . . *τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής.*

et Menandri frg. 472 v. 3 sq.:

τούτῳ λαλήσας ἡμέρας σμικρὸν μέρος
εὔνους ἐγὼ νῦν εἰμι. ‛πειστικὸν λόγος᾽
πρὸς τοῦτ᾽ ἂν εἴποι τις μάλιστα τῶν σοφῶν.

Multo saepius autem in fragmenti initio vel fine quam in medio aliquid intercidere solet.

[2] Adnoto inde ab antiqua usque ad novam comoediam esse hanc poetarum consuetudinem, ut in prologis aliquid sibi vel ipsi opponant vel a spectatoribus opponi aut interrogari fingant, quod ad fabulae argumentum attineat. Legas praeter duos locos supra allatos Heniochi frg. 5 (Kock II. p. 433), Plaut. Cas. v. 67 sq. (Ussing), Amph. v. 86 sq. Similes sunt Stichi versus inde a 446 qui locus quamquam non in prologo positus est tamen prologorum genus dicendi ostendit. De suo tale quid addidit Terentius in Phormionis prologo inde a v. 12. Praeterea unum fragmentum affero quod huc pertinere conicio. Athenaeus IX. 399ef haec habet (K. II. p. 296): *Ναυσι-*

chorum Socrates in Nubibus Strepsiadi his verbis monstrat (323 sq.):

βλέπε νυν δευρὶ πρὸς τὴν Πάρνηθ᾿· ἤδη γὰρ ὁρῶ κατιούσας
ἡσυχῇ αὐτάς. — φέρε, ποῦ; δεῖξον. — χωροῦσ᾿ αὗται πάνυ πολλαί,
διὰ τῶν κοίλων καὶ τῶν δασέων, αὗται πλάγιαι. — τί τὸ χρῆμα;
ὡς οὐ καθορῶ. — παρὰ τὴν εἴσοδον.

Eiusdem condicionis fuerunt versus illi simillimi quos scholiasta ex Insulis, sive Archippi sive Aristophanis haec fabula fuit, ad Avium v. 296 adnotavit:

. . . τί σὺ λέγεις; εἰσὶν δὲ ποῦ;
— αἱδὶ κατ᾿ αὐτὴν ἣν βλέπεις τὴν εἴσοδον.

— In Aristophanis Thesmophoriazusis altera prologum recitavit Calligenia quam poeta Cereris nutricem esse fingebat. Vide scholion ad Thesm. v. 298 adscriptum: (Καλλιγένεια) δαίμων περὶ τὴν Δήμητρα, ἣν προλογίζουσαν ἐν ταῖς ἑτέραις Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν, quocum coniungenda sunt ea quae Photius s. v. Καλλιγένειαν affert: Ἀπολλόδωρος μὲν τὴν γῆν, οἱ δὲ Διὸς καὶ Δήμητρος θυγατέρα· Ἀριστοφάνης δὲ ὁ κωμικὸς τροφόν. Καλλιγένεια autem appellabatur unus ex Thesmophoriorum diebus. Idem ausus est Philyllius cuius in Hercule (Kock I. p. 784)

κράτης δ᾿ ὁ κωμῳδιοποιὸς ἐν Περσίδι σπανίως, φησίν, ἔστιν εὑρεῖν δασύποδα περὶ τὴν Ἀττικήν· λέγει δὲ ὧδε·

ἐν τῇ γὰρ Ἀττικῇ τίς εἶδε πώποτε
λέοντας ἢ τοιοῦτον ἕτερον θηρίον;
οὗ δασύποδ᾿ εὑρεῖν ἐστιν οὐχὶ ῥάδιον.

Explicationem quam Meinekius periclitatus est refutavit Hauptius. Mihi res haec esse videtur: prologus in exponendo argumento aliquo modo leonum mentionem faciebat, quod in fabula, in qua de muliere Persica agebatur, facile fieri poterat. Iam hunc fere in modum pergit: „*λῆροι*“ *εἴποι τις ἂν τῶν σοφῶν· ἐν τῇ γὰρ Ἀττικῇ τίς εἶδε* etqs. at ego dico non esse nugas. nam ea quae narravi non in Attica sed in Persia facta sunt, vel tale quid. — Totius autem huius rei causa repetenda esse videtur ex fuso atque verboso dicendi genere quo poetae inprimis in prologo uti solebant. Cum autem hoc genus non ineptum sit in comoedia, certe ad tragoediam minime quadrat. Neque tamen Euripides eo abstinuit. In Helena, cuius fabulae et formae et rerum magna cum comoedia similitudo est, Helena postquam quot malis affecta sit exposuit inde a v. 56 haec profert:

τί δῆτ᾿ ἔτι ζῶ; θεοῦ τόδ᾿ εἰσήκουσ᾿ ἔπος
Ἑρμοῦ, τὸ κλεινόν μ᾿ ἔτι κατοικήσειν πέδον
Σπάρτης σὺν ἀνδρί, γνόντος ὡς ἐς Ἴλιον
οὐκ ἦλθον, ἵνα μὴ λέκτρ᾿ ὑποστρώσω τινί.

Rem quamquam paulo magis tectam tamen eandem esse vides.

Δορπία prologum pronuntiabat. Legas ea quae ab Athenaeo IV. 171 d traduntur: καὶ Φιλύλλιος ἐν Ἡρακλεῖ·

βούλεσθε δῆτ' ἐγὼ φράσω τίς εἰμ' ἐγώ;
ἡ τῶν προτενθῶν Δορπία καλουμένη.

Δορπία autem Apaturiorum prima dies erat. — Alia exempla omitto cum ex ipsorum quoque poetarum inter se controversiis atque criminibus saepissime alterum alterum compilasse sciamus.

In iis iam comoediis quae post annum 412 actae sunt aliud expositionis genus usurpatum invenimus idque pulcherrimum. Harum enim prologi ita comparati sunt, ut in fabulae principio duo homines conveniant, quorum alter cum altero quae sit res communicet. Itaque neque soliloquio unius personae, neque oratione ad se ipsos habita, sed vero diverbio spectatores quoque, de argumento certiores fiunt. Et omnino tam apte hi prologi compositi sunt, ut nihil habeant quod spectatorum docendorum causa, non ut res ipsa flagitet, dictum esse videatur. Cum autem haec laus omnibus posterioris aetatis fabulis Aristophaneis quas nos habemus communis sit, — in Ecclesiazusis quoque cuius in initio poeta facetissime prologos Euripideos imitando irridet expositionis summa diverbio post soliloquium sequenti reservatur — ea in re haec exordia discrepant quod unumquodque suam habet indolem habitumque pulcherrime et singulariter a poeta inventum. Itaque hac parte Aristophanes meo quidem sensu et omnes poetas tragicos vicit et ipse, si posteriores cum prioribus fabulis comparamus, maxime progressus est.

Iam cum plura nunc non sint quae de antiqua comoedia proferri possint, ad mediam et novam aggrediamur, cuius de prologis accuratius agemus[1]. Statuendum autem est nullum fere, quod nos quidem cognoscere possimus, gravius discrimen intercedere in prologi usu inter mediam et novam comoediam. Itaque hac in quaestione ambas una simulque tractabimus. — Prologi autem nomine eam fabulae partem significabo in qua eo praecipue munere poeta fungitur ut argumentum exponat.

Iam ut ad singula nos convertamus, discedunt hi prologi duo in genera: argumentum enim exponitur aut in ipsa fabula ab ipsius fabulae persona, aut ante fabulae initium a persona

[1] Multa de iis recte observavit Dziatzko in commentatione Die Plautinischen Prologe quam inscripsit. Luzern 1867.

aliqua quae in ipsa fabula non progreditur. Priore autem in genere distinguendum est inter eas fabulas in quibus expositio per diverbium fit, ita ut alter alteri rem narret, et eas in quibus persona illa quae prima in scaenam procedit ab argumento exponendo orditur. Quod ad genus paucae quoque illae fabulae prope accedunt in quibus alteri vel tertiae scaenae hoc munus reservatur. — Transeamus nunc ad ea exempla quae initium capiunt ex diverbio quo spectatores quid rei sit cognoscant. Ut autem certum fundamentum iaciamus ab iis utile erit Menandri comoediis ordiri quas ex Terentio novimus. Hic autem quattuor in fabulis Menandri vestigia pressit, in Andria Hautontimorumeno Eunucho Adelphis. Andriam et Adelphos nunc mittamus. In Hautontimorumeno expositio ita instituta est, ut Menedemus a Chremete rogatus ea quibus ad intellegendam rem opus est narret. In Eunucho Thais Phaedriae id exponit quo fabula nititur. Terentium autem in componendis his initiis accurate Menandri vestigia secutum esse non modo colligendum est, quod quidem ad Eunuchum attinet, ex Donati hac de re silentio, qui quotiens Terentius a Graeco exemplari recedit adnotare solet, sed etiam ex compluribus fragmentis, quae aut Donatus aut alii e Menandro afferunt Haec enim ad verbum ferme cum locis Terentianis consentiunt. Legas Menandri fragmenta 140 et 141 ex Hautontimorumeno, fragmenta 186, 187 ex Eunucho, quibus addas Persii sat. V. v. 161 sq. — Sed alias quoque Menandrum hoc genere usum esse ut per se veri simile est sic ex iis efficitur quae Hermogenes de invent. (Rhet. Gr. ed. Spengel II. p. 256, 6) ex Menandri fabula aliqua attulit (frg. 558):

. . . . Διονυσίων ⟨μὲν⟩ ἦν
πομπή . . . .
ὁ δέ μ' ἠκολούθησεν μέχρι τοῦ πρὸς τὴν θύραν.
ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων . . . . .
τὴν μητέρ' ἔγνω μ'. . . . .

Quae cum, ut Meinekius (IV. p. 243) notavit, a Plauto Cist. I, 1, 88 sq. (Ussing):

. . . . per Dionysia
mater pompam me spectatum duxit. dum redeo domum,
conspicillo consecutust clanculum me usque ad fores;
inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul
blanditiis muneribus donis

translata sint, hac ex fabula de Menandreae exordio coniecturam facere licet. — Duae fabulae Terentianae, Hecyra et Phormio, expressae sunt ex exemplis Apollodori Carystii. Quod ad expositionem attinet magna iis est similitudo. Exorditur enim fabulam persona (una vel duae) cui cum argumento prorsus nihil est. Sunt πρόσωπα προτατικά, quod personarum genus eam solam ob causam inducitur, ut sit aliquis cui argumentum narrari possit. Atque illud quoque his fabulis commune est quod initio solae in scaenam personae illae protaticae prodeunt. Is autem qui rem altera in scaena exponit utrubique servus est. Maxime autem id miramur quod etiam in minoribus rebus altera fabula alteri satis similis est. Ad ea enim quae Parmenonis narrationi antecedunt prope illa accedunt quae Geta praemittit. Conferas Hecyrae versus inde a 103:

sed qui istuc credam ita esse, dic mihi, Parmeno.
— *non est opus prolato: hoc percontarier*
desiste. — *nempe ea causa, ut ne id fiat palam?*
ita me di amabunt, haud propterea te rogo,
ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.
— *numquam tam dices commode, ut tergum meum*
tuam in fidem committam. — *ah noli, Parmeno:*
quasi tu non multo malis narrare hoc mihi
quam ego quae percontor scire. — *vera haec praedicat,*
et illud mihi vitiumst maxumum. si mihi fidem
das te tacituram, dicam. — *ad ingenium redis.*
fidem do: loquere. — *ausculta.*

cum Phormionis versibus inde a 57:

sed quid tu es tristis? — *egone? nescis quo in metu,*
quanto in periclo simus! — *quid istuc est?* — *scies,*
modo ut tacere possis. — *abi sis, insciens:*
quoius tu fidem in pecunia perspexeris,
verere verba ei credere? ubi quid mihi lucrist
te fallere? — *ergo ausculta.*

Videtur igitur Apollodorus satis putide se ipse his in rebus compilasse. — Sed omnino hoc expositionis genus, quo, quasi arcana atque silenda res, fabulae argumentum ex verna ab homine aliquo externo eliciatur, late apud illius aetatis poetas patuit. Nam non dubito quin ea quoque quae quamquam corrupta in Crameri Anecdotis Parisinis IIII 418 (Menandri

frg. 849. 850) leguntur: τὸ ἐκ παίδων φιλομύθους ἡμᾶς εἶναι καὶ χαίρειν ἐν τῇ περιεργίᾳ, ὥς φησι Μένανδρος·

. . . . φιλῶ σ' Ὀνήσιμε.
— καὶ σὺ περίεργος εἶ . . . .[1]

καὶ πάλιν·

† οὐδὲν γὰρ γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι

in illa fabulae parte fuerint qua argumenti narratio praepararetur. Nam similis iocus his subesse videtur atque loco illi ex Hecyra supra allato. Compares Phoenicidae quoque fragmentum (Kock III p. 333, frg. 1) quod ex Tibicina Hesychius servavit:

δύνασαι σιωπᾶν; — ὥστε ⟨τοὺς⟩ τὰς διαλύσεις
συντιθεμένους κεκραγέναι δοκεῖν.

Quae eandem in fabula tenuisse sedem persuasum habeo. — Iam si unde hunc expositionis instituendae usum sibi sumpserint illi poetae quaerimus, conferentibus nobis ea quae in Euripidis Medea inde a v. 63 legimus:

τί δ' ἔστιν, ὦ γεραιέ; μὴ φθόνει φράσαι.
— οὐδέν· μετέγνων καὶ τὰ πρόσθ' εἰρημένα.
— μή, πρὸς γενείου, κρύπτε σύνδουλον σέθεν·
σιγὴν γάρ, εἰ χρή, τῶνδε θήσομαι πέρι,

quibus addendus est v. 80 et sequens:

— ἀτὰρ σύ γ', οὐ γὰρ καιρὸς εἰδέναι τόδε
δέσποιναν, ἡσύχαζε καὶ σίγα λόγον,

dubium esse nequit quin Euripidis exemplum hac in re plurimum valuerit. Nam versus hi ipsi quoque antecedunt paedagogi verba, e quibus argumenti partem et nutrix et spectatores comperiunt. — Ipse autem Euripides, si recte sentio, ex cotidianae vitae sermone hoc hausit, ut persaepe eum potissimum de cothurno ad vulgarem usum et dicendi genus descendisse satis constat. Itaque non miraberis, si talia in comoedia praecipue invenies. Conferas Aristophanis lepida verba in Nubibus inde a v. 823:

καί σοι φράσω τι πρᾶγμ' ὃ μαθὼν ἀνὴρ ἔσει.
ὅπως δὲ τοῦτο μὴ διδάξεις μηδένα.

Deinde Strepsiades, cuius haec sunt, Phidippidi non iam Iovem sed Δῖνον regnare enuntiat. — Ceterum ipsa res ita ferebat, ut poetae talia variarent atque mutarent. Sic in Plautina Trinummo,

[1] Sic distribuit Kaibelius.

quae ex Philemonis exemplo versa est, Callicles senex Megaronidi amico argumentum concredit. Legas versus inde a 140:

subigis maledictis me tuis, Megaronides,
novo modo adeo ut quod meae concreditumst
taciturnitati clam, fide et fiduciae,
ne enuntiarem quoiquam neu facerem palam,
ut mihi necesse sit iam id tibi concredere.
— *mihi quod credideris, sumes ubi posiveris.*
— *circumspicedum te, nequis adsit arbiter*
nobis, et quaeso identidem circumspice.
— *ausculto siquid dicas.*

Similia ea quoque sunt quae in Truculento legimus inde a v. 387 (Schoell):

tu nunc superstes solus sermoni meo's,
tibi mea consilia summa semper credidi.
equidem neque peperi puerum etqs.

Aliud genus non ita dissimile et ipsum quoque pervulgatum postea tractabimus. — Sed delapsi sumus ab illis locis quibus extraneo homini a domestico argumentum narrari vidimus. Referendum autem esse videtur inter eos Menandri fragmentum (600) quod in scholiis Aristotelicis (ed .Berol. p. 93 b 13) et alibi servatum est:

οὐχ ὁ τρόφιμός σου πρὸς θεῶν, Ὀνήσιμε,
ὁ νῦν ἔχων Ἁβροτόνιον τὴν ψάλτριαν,
ἔγημ' ἔναγχος; — πάνυ μὲν οὖν.

Nisi fallor Onesimus servus est (quod idem in locum p. 18 allatum cadere suspicor), qui paulo post argumentum expositurus est. Conferas id quod scholion Aristid. p. 53 d Dind. de τρόφιμος voce docet: δύο οὖν ἡ λέξις σημαίνει, καὶ τὸν θρέψαντα καὶ τὸν τραφέντα· θρέψαντα τὸν δεσπότην, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ. Quamquam dubito num haec in nostrum locum quadrent. Equidem enim paedagogum servum agnoscere mihi videor, qui creberrime in comoedia occurrit. Illustrari autem mihi videtur hic locus Terentianis duobus, qui sunt in fabulis supra allatis. Dico Hecyrae v. 97 sq.:

sed quid hoc negotist, modo quod narravit mihi
hic intus Bacchis? quod ego numquam credidi
fore, ut ille hac viva posset animum inducere
uxorem habere.

et Phormionis v. 39:

nam erilem filium eius (scilicet amici mei
Getae servi) *duxisse audio*
uxorem.

Addo Turpilii quoque versum quem ex Boethuntibus Nonius affert (v. 3 in edit. Ribb.):

eum derepente ducere uxorem audio.

Restat unus ex nova comoedia locus. In Pollucis Onomastico VIIII. 65 haec leguntur: ὅτι δὲ τοὺς ἓξ χαλκοῦς τριτημόριον ὠνόμαζον ἔστιν εὑρεῖν ἐν τῷ Φιλήμονος Σαρδίῳ (frg. 74)·

χαλκοῦς ὀφείλεις πέντε μοι. μέμνησ'; — ἐγὼ
σοὶ πέντε χαλκοῦς, σὺ δέ ⟨γ'⟩ἐμοὶ τριτήμορον.
τοὺς ἓξ ἀποδοὺς τοὺς πέντε χαλκοῦς ἀπόλαβε.

Quem ad locum spectare suo iure viri docti coniecerunt ea quae Harpocratio 178, 11 affert: ὅτι τριτημόριόν ἐστιν ἓξ χαλκοῖ Φιλήμων ἐν ἀρχῇ τοῦ Σαρδίου. Illud autem principium illustrari mihi videtur Terentii Phormione, quae a re simillima initium capit. Conferas v. 35 sq.:

Amicus summus meus et popularis Geta
heri ad me venit. erat ei de ratiuncula
iam pridem apud mê relicuom pauxillulum
nummorum: id ut conficerem. confeci: adfero.

deinde postquam Geta e domo progressus est:

accipe, em:
lectumst: conveniet numerus quantum debui.

In Sardii quoque initio servos agere non modo ex similitudine quae duobus his exordiis est, sed etiam ex „pauxillula“ pecunia, cuius mentio fit, colligi posse videtur. Praeterea Philemonis quoque fabula habuisse videtur ἀναγνωρισμόν. Recte enim Kockius adnotavit significare Σάρδιον[1] vocem anulum signatorium. Inde autem non sine verisimilitudine conicere mihi videor duxisse hanc Philemonis fabulam nomen ea ex re ex qua in exitu duo homines alter alterum agnoscebant, quod quam saepe factum sit nemo ignorat. Sic Δακτύλιος nomen fuit Timoclis Alexidis Amphidis Menandri fabulae. Multo minus autem, nisi fallor, Kockii sententia probabilis est, qui testamentum sardonyche

---

[1] Σάρδιον enim, non Σάρδιος, fuit antiquior forma. Cf. Stephani thesaurum.

signatum argumentum fabulae praebuisse suspicatur. Itaque Philemonis Sardio quaedam cum Apollodori Epidicazomeno similitudo fuisse videtur. Quod nemo mirabitur qui sescenties illius aetatis poetas comicos alterum alterum imitatum esse et compilasse meminerit [1].

Revertamur ad rem propositam. Scholiasta Eur. Troad. 821 haec affert: Ἀντιφάνης Λαομέδοντος παῖδα τὸν Γανυμήδην φησὶ διὰ τούτων (frg. 73)·

τῶν οἰκιῶν οὖν ὧν ὁρᾷς ἐν τῇδε μὲν
ὁ τῶν Φρυγῶν τύραννος οἰκῶν τυγχάνει
γέρων, ἀπ' ἀρχῆς Λαομέδων καλούμενος.

Meinekius (III. p. 41) haec adnotat: 'videntur praesentes in scaena agere Mercurius et alius quidam, cui Ganymedis rapinam Juppiter mandaverat. Huic viam monstrabat Mercurius'. Quae vera esse possunt. Certissima autem ratione prologo viri docti haec tribuerunt. Ex magna enim accuratione qua scaena et Laomedontis res describuntur cognoscitur poetam id agere, ut spectatores de fabulae argumento certiores faciat. Est autem haec quoque condicio, ut primi in conspectum populi producantur duo homines qui ad alicuius domum alteri non notam proficiscantur, inter eas a quibus saepissime poetae fabulas ordiebantur. Eiusdem generis est Curculionis Plautinae principium; legas v. 1 sq. 12 sq. 39. Ad ipsum prologum proprie qui dicitur translata haec ratio est in Trinummo, cuius hoc est initium:

Sequere hac me, gnata, ut munus fungaris tuum.
— *sequor: set finem fore quem dicam nescio.*
— *adest: nam illaec sunt aedes: i intro nunc iam.*

Quam idoneus hic modus sit ad inchoandas fabulas quamque apte spectatores sic omnia quae opus sint discant nemo non intellegit. Itaque non miramur quod in antiquis iam fabulis talia

---

[1] Occasione data adnoto Philemonis *Ἐπιδικαζόμενον* eadem in re versatam esse videri in qua Apollodori eiusdem nominis fabulam, ex qua Terentii Phormio fluxit. Quod non modo titulo probatur, sed etiam fragmento (23) quod Stobaeus servavit:

ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
ἔστ' ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
ὁ λοιδορῶν γάρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν.

Optime enim haec quadrent in condicionem Phormionis a Demiphone et Geta (II, 3) contumeliis affecti.

reperiuntur. Luculentissimum exemplum praebent Thesmophoriazusae Aristophanis. Conferas v. 1 sq.:

Ὦ Ζεῦ, χελιδὼν ἆρά ποτε φανήσεται;
ἀπολεῖ μ' ἀλοῶν ἅνθρωπος ἐξ ἑωθινοῦ.
οἷόν τε, πρὶν τὸν σπλῆνα κομιδῇ μ' ἐκβαλεῖν,
παρὰ σοῦ πυθέσθαι, ποῖ μ' ἄγεις, ὦ Εὐριπίδη;

et v. 26:

— ὁρᾷς τὸ θύριον τοῦτο; — νὴ τὸν Ἡρακλέα
. . . .
. . . .
— ἐνθάδ' Ἀγάθων ὁ κλεινὸς οἰκῶν τυγχάνει
ὁ τραγῳδοποιός. — ποῖος οὗτος ἀγάθων;

Addo Ranarum exordium, ubi Bacchus cum Xanthia ad Herculis fanum proficiscens in scaenam prodit. Simile aliquid invenimus in Nubibus quoque; ibi enim inde a v. 92 Strepsiades filio domum Socratis monstrat; quamquam alia nonnulla hoc loco iam praecesserunt. Neque Avium initium dissimile est, ubi Euelpides et Pithetaerus avium sedes petunt, ita tamen ut neuter regionis viaeque satis peritus sit.

Sed tragoedia quoque hac ratione usa est, quamquam inter tragicorum et comicorum poetarum usum nonnihil, ut decet, intercedit. Referenda huc sunt initia Sophoclearum Electrae et Philoctetae. Illic paedagogus, qui est itineris dux, Oresti et spectatoribus regionem describit. Idem in Philocteta Ulixes facit:

Ἀκτὴ μὲν ἥδε τῆς περιρρύτου χθονὸς
Λήμνου, βροτοῖς ἄστιπτος οὐδ' οἰκουμένη.

Quamquam utraque fabula, si quidem recte Wilamowitzius Electram inter posteriores poetae fabulas retulit, aetate inferior est comoediis allatis, saltem Nubibus. Unum autem exemplum illud quod forsitan quis conferre velit aliter comparatum est. Dico Aeschyleae Promethei principium, quod Κράτος profert:

Χθονὸς μὲν εἰς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον,
Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν.

Nam nulla personarum agentium hoc loco est quae egeat explicatione

Ex Antiphanis fabula incerta Athenaeus II 38 b haec affert (frg. 235):

κρύψαι, Φειδία,
ἅπαντα τἆλλα τις δύναιτ' ἂν πλὴν δυοῖν,

οἶνόν τε πίνων εἰς ἔρωτά τ' ἐμπεσών.
ἀμφότερα μηνύει γὰρ ἀπὸ τῶν βλεμμάτων
καὶ τῶν λόγων ταῦθ'· ὥστε τοὺς ἀρνουμένους,
μάλιστα τούτους . . . . καταφανεῖς ποιεῖ.

Quae sit res clare perspicitur. Iuvenis tam perdite puellam aliquam amat, ut res, etiamsi celare eam studeat, tamen comitem, servum puto, non effugiat. Itaque hic eum adhortatur, ut sibi amorem suum credat. Ad iuvenem haec dici eo quoque probatur, quod Φειδίας etiam altero loco ubi occurrit iuvenis nomen est. Dico Menandri frg. 530, quocum coniungas 531 et ἀδέσποτα τῆς νέας 105 et 114, qui locus et ipse in fabulae exordio positus fuisse videtur. In nominum autem usu mediae et novae aetatis poetae comici satis certas leges sequuntur. Haec autem condicio, ut in fabulae initio erus iuvenis servo, qui roget et acriter instet et fidem pietatemque suam adversus eum probatam commemoret, amorem suum concredat, tam crebra ut nulla fere alia in comoediis est. Conferas inprimis Pseudoli Plautinae initium, quod hoc est:

Si ex te tacente fieri possem certior,
ere, quae miseriae te tam misere macerent,
duorum labori ego hominum parsissem lubens:
mei te rogandi et tui respondendi mihi.
nunc quoniam id fieri non potest, necessitas
me subigit ut te rogitem. responde mihi:
quid est, quod tu exanimatus iam hos multos dies
gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis
neque tui participem consili quemquam facis?
eloquere, ut quod ego nescio tecum sciam.

Proxime accedit Curculionis quoque exordium, de quo supra iam diximus. Exscribo versus eos qui huc pertinent: 1 sq.:

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?
— *quo Venus Cupidoque inperant suadetque Amor.*

23 sq :

— *numquid tu quod te aut genere indignum sit tuo*
facis aut inceptas facinus facere, Phaedrome?
num tu pudicae quoipiam insidias locas
aut quam pudicam oportet esse? — *nemini,*
nec me ille sirit Juppiter. — *ego item volo:*

ita tuom conferto amare semper, si sapis,
ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
semper curato ne sis intestabilis.
— *quid istuc est verbi?* — *caute ut incedas via:*
quod amas amato testibus praesentibus.
— *quin leno hic habitat.* — *nemo hinc prohibet nec votat*
quin quod palamst venale, si argentumst, emas.
nemo ire quemquam publica prohibet via.
dum ne per fundum saeptum facias semitam,
dum ted abstineas nupta vidua virgine
iuventute et pueris liberis, ama quod lubet.

43:
— *sed ita ut occepi dicere, ei* (scil. lenoni) *ancillulast.*

46 sq.:
eam volt meretricem facere: at ea me deperit.
ego autem cum illa facere nolo mutuom.
— *quid ita?* — *quia proprium facio: amo pariter simul.*
— *malus clandestinus est amor, damnumst merum.*

Hoc autem cum loco ea confero quae ex Eubuli vel Philippi Nannio sumpta invenimus apud Athenaeum XIII 568 f. (frg. 67):

ὅστις λέχη γὰρ σκότια νυμφεύει λάθρᾳ,
πῶς οὐχὶ πάντων ἐστὶν ἀθλιώτατος;
ἐξὸν θεωρήσαντι πρὸς τὸν ἥλιον
γυμνὰς ἐφεξῆς ἐπὶ κέρως τεταγμένας,
ἐν λεπτοπήνοις ὕφεσιν ἑστώσας, οἵας
Ἠριδανὸς ἁγνοῖς ὕδασι κηπεύει κόρας,
μικροῦ πρίασθαι κέρματος τὴν ἡδονήν,
καὶ μὴ λαθραίαν Κύπριν, αἰσχίστην νόσων
πασῶν, διώκειν, ὕβρεος οὐ πόθου χάριν.
Ἑλλάδος ἔγωγε τῆς ταλαιπώρου στένω
ἣ Κυδίαν ναύαρχον ἐξεπέμψατο[1].

---

[1] Poetam tragoediae dicendi genus affectare apparet. Adnotaverunt editores versum 10 ex Euripidis Iph. Aul. (370) depromptum esse. Cum v. 1 comparari potest eiusdem poetae Troad. v. 44:

γαμεῖ βιαίως σκότιον Ἀγαμέμνων λέχος

et 252:

. . *ἀλλὰ λέκτρων σκότια νυμφευτήρια,*

Ionis v. 819:

λαβὼν δὲ δοῦλα λέκτρα νυμφεύσας λάθρᾳ.

Cum v. 8 conferas Orestis v. 8:

ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.

Videtur similis res huic loco subesse atque Curculioni. — Si autem id quaerimus, unde hoc expositionis genus profectum sit cuius quattuor exempla attulimus, primum redeundum est ad antiquam comoediam. Eiusdem enim rationis, quamquam non de amore agitur, locus ille est quem in Aristophaneae Pluti initio legimus inde a v. 18:

ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως σιγήσομαι,
ἢν μὴ φράσῃς ὅ τι τῷδ᾽ ἀκολουθοῦμέν ποτε,
ὦ δέσποτ᾽, ἀλλά σοι παρέξω πράγματα.
. . . .
. . . .
. . . . . . λῆρος· οὐ γὰρ παύσομαι
πρὶν ἂν φράσῃς μοι τίς ποτ᾽ ἐστὶν ούτοσί·
εὔνους γὰρ ὤν σοι πυνθάνομαι πάνυ σφόδρα.
— ἀλλ᾽ οὔ τι κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.

Iam erus servo argumentum narrat. Cum his conferas Pacis v. 102 sq.; ubi simili modo servus dominum rem exponere cogit:

οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως σιγήσομ᾽, ἢν μή μοι φράσῃς
ὅποι πέτεσθαι διανοεῖ;

Deinde legas Thesmophoriazusarum initium, quod supra iam

Ad finem Meinekius haec adnotat: 'duo postremi versus quo consilio ceteris adiuncti sint, non intellegitur'. Kockius: 'duo extremi versus cum prioribus non videntur cohaerere'. Equidem poetam iocandi illo genere usum esse coniecerim quod *γρῖφος* grammatici vocant. Compares quae hac de re Dem. de eloc. 152, 153 exponit: *ἔστι δέ τις καὶ ἡ παρὰ τὴν προσδοκίαν χάρις, ὡς ἡ τοῦ Κύκλωπος, ὅτι „ὕστατον ἔδομαι Οὖτιν.“ οὐ γὰρ προσεδόκα τοιοῦτο ξένιον οὔτε Ὀδυσσεὺς οὔτε ὁ ἀναγιγνώσκων· καὶ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπὶ τοῦ Σωκράτους, „κηρὸν διατήξας“, φησίν, „εἶτα διαβήτην λαβών, ἐκ τῆς παλαίστρας ἱμάτιον ὑφείλετο“* (cf. Ar. Nub. 149, 178 sq.). *ἤδη μέντοι ἐκ δύο τόπων ἐνταῦθα ἐγένετο ἡ χάρις· οὐ γὰρ παρὰ προσδοκίαν μόνον ἐπηνέχθη, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἠκολούθει τοῖς προτέροις· ἡ δὲ τοιαύτη ἀνακολουθία καλεῖται γρῖφος, ὥσπερ ὁ παρὰ Σώφρονι ῥητορεύων Βουλίας· οὐδὲν γὰρ ἀκόλουθον αὑτῷ λέγει· καὶ παρὰ Μενάνδρῳ δὲ ὁ πρόλογος τῆς Μεσσηνίας.* Clarum autem huius rei exemplum invenitur in Ar. Vesp. v. 306 sq.: *ἔχεις ἐλ | πίδα χρηστήν τινα νῷν ἢ | πόρον Ἕλλας ἱερόν;* ubi poeta Pindari verbis iocose usus sententiam corrupit. Ad Nannii locum prope accedit Menandri frg. 154 et Ar. Ran. v. 588. — Ceterum eiusdem generis iocandi mentio fit in commentariolo *περὶ κωμῳδίας* illo quem legimus et in Aristophanis editionibus et apud Bernaysium l. s. p. 137 sq. Quo loco in § 3, ubi *ὁ ἐκ τῶν πραγμάτων γέλως* tractatur, singula eius genera afferuntur cum alia tum haec: *ἐκ τοῦ παρὰ προσδοκίαν* et *ὅταν ἀσυνάρτητος ὁ λόγος ᾖ καὶ μηδεμίαν ἀκολουθίαν ἔχων.*

attulimus. Accedit autem hoc magis ad Curculionem, quamquam non dominus et servus, sed duo homines affines colloquntur.

Sed memorabile est, tragoediae quoque, Euripideae Iphigeniae Aul., initium, quod ab Euripide minore compositum esse putatur, similem in modum comparatum esse, non modo quod totius rei indolem attinet, sed etiam singulis in sententiis. Conferas Pluti v. 25:

εὔνους γὰρ ὢν σοι πυνθάνομαι πάνυ σφόδρα

cum senis verbis in Iphig. v. 45:

πρὸς δ' ἄνδρ' ἀγαθὸν πιστόν τε φράσεις

et Pluti v. 26 sequentemque:

ἀλλ' οὔ τι κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.

cum Iphigeniae vv. 113, 114:

λόγῳ φράσω σοι πάντα τἀγγεγραμμένα·
πιστὸς γὰρ ἀλόχῳ τοῖς τ' ἐμοῖς δόμοισιν εἶ.

Summa vero similitudo est Iphigeniae principio cum Pseudoli loco supra allato. Compares Iphigeniae v. 35 sq.:

σὺ δὲ . . . . δέλτον τε γράφεις
τήνδ' ἣν πρὸ χερῶν ἔτι βαστάζεις . . .
θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέων

cum Pseud. v. 7, 8:

quid est, quod tu exanimatus iam hos multos dies
gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,

Iphigeniae v. 44, 45:

φέρε κοίνωσον μῦθον ἐς ἡμᾶς.
πρὸς δ' ἄνδρ' ἀγαθὸν πιστόν τε φράσεις

cum Pseudoli v. 14, 15:

licetne id scire quid sit? nam med antidhac
supremum habuisti comitem consiliis tuis.

Iphigeniae v. 117, 118:

λέγε καὶ σήμαιν', ἵνα καὶ γλώσσῃ
σύντονα τοῖς σοῖς γράμμασιν αὐδῶ.

cum Pseudoli v. 10:

eloquere ut quod ego nescio tecum sciam.

Cum Curculione autem ea in re Iphigeniae exordium congruit, quod utroque loco res noctu agitur: servus erum, qui e cubiculo se proripuit, mirans quid sit sequitur. Conferas Iphig. v. 1:

Ὦ πρέσβυ, δόμων τῶνδε πάροιθεν

στεῖχε. — στείχω· τί δὲ καινουργεῖς . .;
12: τί δὲ σὺ σκηνῆς ἐκτὸς ἀίσσεις;

cum Plautinae fabulae versibus primis. Fingi autem poterant haec initia ad exemplum talium locorum qualem unum legimus in Euripideae Hippolyti expositione, ubi nutrix serva inde a v. 291 Phaedram ut morbum suum sibi concredat hortatur:

ἐγώ θ᾽ ὅπῃ σοι μὴ καλῶς τόθ᾽ εἱπόμην
μεθεῖσ᾽ ἐπ᾽ ἄλλον εἶμι βελτίω λόγον.
κεὶ μὲν νοσεῖς τι τῶν ἀπορρήτων κακῶν,
γυναῖκες αἵδε συγκαθιστάναι νόσον.
εἰ δ᾽ ἔκφορός σοι συμφορὰ πρὸς ἄρσενας,
λέγ᾽, ὡς ἰατροῖς πρᾶγμα μηνυθῇ τόδε.
εἶεν· τί σιγᾷς; οὐκ ἐχρῆν σιγᾶν, τέκνον,
. . . .
. . . .
φθέγξαι τι, δεῦρ᾽ ἄθρησον κτλ.

Quibus cum nihil efficiat, eram iam obtestando atque obsecrando ad fatendum quasi vi cogit. Legas versus inde a 324:

οὐ δῆθ᾽ ἑκοῦσά γ᾽ (scil. concedam ut labores),
ἐν δὲ σοὶ λελείψομαι.
— τί δρᾷς; βιάζει χειρὸς ἐξαρτωμένη;
— καὶ σῶν γε γονάτων, κοὐ μεθήσομαί ποτε.
333: — ἄπελθε πρὸς θεῶν δεξιᾶς τ᾽ ἐμῆς μέθες.
— οὐ δῆτ᾽, ἐπεί μοι δῶρον οὐ δίδως ὃ χρῆν.
— δώσω· σέβας γὰρ χειρὸς αἰδοῦμαι τὸ σόν.
— σιγῷμ᾽ ἂν ἤδη· σὸς γὰρ οὑντεῦθεν λόγος.

Simile exemplum Demophili est quod ex Plauti Asinaria novimus: ibi enim inde a v. 16 haec legimus:

Sicut tuom vis unicum gnatum tuae
superesse vitae sospitem et superstitem,
ita ted obtestor per senectutem tuam
perque illam, quam tu metuis, uxorem tuam:
si quid tu med erga hodie falsum dixeris,
ut tibi superstes uxor aetatem siet
atque illa viva vivos ut pestem oppetas.
— *per Dium Fidium quaeris: iurato mihi*
video necesse esse eloqui quidquid roges.
ita me obstinate adgressu's, ut non audeam
profecto, percontanti quin promam omnia;

proinde actutum istuc quid sit quod scire expetis
eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.
— *dic obsecro hercle serio quod te rogem,*
cave mihi mendaci quicquam. — *quin tu ergo rogas?*
— *num me illuc ducis* etqs.

Nihil maius autem servus resciscere vult quam quo dominus se ducat. Quod autem hanc ad rem tam tragica atque magnifica praefatione utitur, ad spectatorum risum movendum certe aptissimum erat.

Ut autem nostrum iam hac de re iudicium proferamus, videntur mihi talia initia, ut Thesmophoriazusarum Pluti Iphigeniae Aul. Pseudoli Curculionis, primum ficta esse a poetis comicis, inde autem manasse et per tragoediam et per mediam novamque comoediam. Hoc enim non crediderim temporum iniquitate factum esse, ut similia tragoediarum initia vetustiora et quae ab ipso Euripide vel Sophocle profecta essent non exstarent. Ipsi autem comici quamquam tragicorum poetarum exempla ante oculos habuisse videntur, ita tamen secuti ea sunt, ut, quod facere solebant, liberrime in suum usum ea mutarent et converterent. Certe enim tales loci satis multi in tragoedia iam inde ab Aeschyli aetate inveniuntur, ubi alter alterum — non autem dominus et servus sunt — ut secum ut cum amico aliquid communicet oret. Sed his locis non de fabulae argumento agi solet.

Restat ut hoc loco Poenuli Plautinae quoque initium afferam, quamquam ea in fabula non ita apte hoc genus usurpatum est. De argumento spectatores proprio prologo certiores fiunt. Fabula ipsa initium capit a dialogo qui est inter Agorastoclem erum et Milphionem servum. Legas versus inde a 129:

Saepe ego res multas tibi mandavi, Milphio,
dubias, egenas, inopiosas consili,
quas tu sapienter docte et cordate et cate
mihi reddidisti opiparas ope opera tua.
quibus pro benefactis fateor deberi tibi
et libertatem et multas gratas gratias.

deinde a v. 152:

— *sed quid nunc tibi vis?* — *cur ego apud te mentiar?*
amo inmodeste. — *meae istuc scapulae sentiunt.*
— *at ego hanc vicinam dico Adelphasium meam,*
lenonis huius meretricem maiusculam.

— *iam pridem equidem istuc ex te audivi.* — *differor*
cupidine eius: sed lenone istoc Lyco
illius domino non lutumst lutulentius.

Quae omnia tam accurate exponi post prologum proprium satis mirum est. Servo autem ea quae iam dudum sciat exponere opus non est. Et illud quoque male se habet, quod quamnam ad rem iuvenis servi prudentia atque consilio uti velit non satis intellegitur, cum nihil impedire videatur, quominus cum puella amata consuetudinem habeat. — Ut autem non omnibus locis qui huc pertinent de amore agi vidimus, sic talia quoque exempla occurrere nemo miratur, quibus non erus et servus illi sint ex quorum diverbio spectatores rem comperiant, sed duae aliae personae. In Thesmophoriazusis κηδεστής Euripidem suspirantem quid eum sollicitet interrogat: cf. v. 71 sq.:

ὦ Ζεῦ τί δρᾶσαι διανοεῖ με τήμερον;
— νὴ τοὺς θεοὺς ἐγὼ πυθέσθαι βούλομαι
τί τὸ πρᾶγμα τουτί; τί στένεις; τί δυσφορεῖς;
οὐ χρῆν σε κρύπτειν, ὄντα κηδεστὴν ἐμόν.

Hoc cum loco conferas Plautinae Cistellariae illum quo amica ex amica rem quaerit: sunt versus inde a 51 (edit. Ussingianae):

meus oculus, mea Selenium, numquam ego te tristiorem
vidi esse; quid, cedo, te, obsecro, tam abhorret hilaritudo?
neque munda adaeque es, ut soles — *hoc sis vide, ut petivit*
suspiritum alte! — *et pallida es. eloquere utrumque nobis,*
et quid tibi est, et quid velis nostram operam, ut nos sciamus.

Terenti in Hautontimorumeno duo senes colloquuntur: cf. v. 84 sq:

ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam:
ne retice, ne verere, crede inquam mihi:
aut consolando aut consilio aut re iuvero.
— *scire hoc vis?* — *hac quidem causa qua dixi tibi.*
— *dicetur.*

Unum addo Afranii locum satis similem. (Togatam autem fabulam his in rebus palliatam secutam esse cum per se appareat tum fragmentis comprobatur). Est Ribbeckianae editionis[2] versus 212 sq.:

quid istuc est? quid fles? quid lacrimas largitus?
proloquere.

Sed ad aliud nos genus convertamus, quod ut facilius ita minus rei aptum ipsum quoque creberrimum est. Saepissime enim poetae rem ita instituunt, ut in fabulae initio una sola persona in scaenam prodeat, cuius ex soliloquio spectatores quid rei sit audiant. Haec autem persona aut ita argumentum prodit, ut secum ipsa colloqui videatur et verba quae faciat condicioni partibusque quas ipsa agat consentanea sint, aut simpliciter ad spectatores conversa rem exponit. Hoc si fit persona illa primum prologi proprii qui dicitur officio fungitur, deinde suas ipsius in fabula partes suscipit. Nos autem sic progrediamur, ut nunc inter duo haec genera, quae saepius a poetis inter se confunduntur, non distinguamus.

Apud Plautum, ut hic quoque a certis proficiscamur, quinque huius generis exempla occurrunt: in Amph. Cist. Merc. Mil. Truc. Mercatoris hoc est principium:

Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
et argumentum et meos amores eloquar.

Iam sequitur argumentum. Similiter se habet Truculenti initium. Cf. v. 1 sq. (ed. Schoell):

Non omnis aetas ad perdiscendum sat est
amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis etqs.,

deinde v. 74 sq.:

postremo in magno populo mulierem inclutam
re placida atque otiosa victis hostibus
amare oportet omnis qui quod dent habent.
nam mi hercle haec meretrix quae hic habet Phronesium
suom nomen omne ex pectore exmovit meo etqs.

Congruunt autem duo haec exordia ea quoque in re, quod ab ea persona proferuntur quae primas in fabula partes agit: est enim iuvenis amans. Deinde id quoque animadvertas, quod utrumque magna ex parte in amatorum aerumnis vitiisque fuse exponendis versatur. Conferas Mercatoris versus inde ab 18 usque ad 36 cum Truculenti versibus inde a 22 usque ad 76.

Laudat, non incusat, amorem ille qui, ipse quoque amator, Theophileae fabulae Φίλαυλος quae inscripta erat exordium pronuntiat, quod Athenaeus III 563 a (Kock II p. 477) servavit:

τίς φησι τοὺς ἐρῶντας οὐχὶ νοῦν ἔχειν;
ἦ πού τίς ἐστι τοὺς τρόπους ἀβέλτερος.
εἰ γὰρ ἀφέλοι τις τοῦ βίου τὰς ἡδονάς,

καταλείπετ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν τεθνηκέναι.
ἐγὼ μὲν οὖν καὐτὸς κιθαριστρίας ἐρῶν,
παιδὸς κόρης, οὐ νοῦν ἔχω πρὸς τῶν θεῶν;
κάλλει καλῆς, μεγέθει μεγάλης, τέχνῃ σοφῆς·
ἣν ἐστ' ἰδεῖν ἥδιον ἢ τὸ θεωρικὸν
ἔχουσιν ὑμῖν διανέμειν ἑκάστοτε.

nam ad argumenti narrationem haec referre non dubito. His locis adiungo Menandreos quattuor, quibus id commune est, quod iuvenis quem Veneris curae aerumnaeque dormire non sinunt, argumenti exponendi causa noctu prodit Primum est fragmentum 739, quod a compluribus scriptoribus significatum magis quam traditum Meinekius sic constituit:

ὦ νύξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον Ἀφροδίτης θεῶν
μετέχεις [μέρος][1].

Et noctu haec agi et amatorem loqui apparet. Prologum autem agnoscendum esse cum aliis ex rebus tum inde sequitur, quod quamquam permultas novimus et tragoedias et comoedias quarum res nocte agi fingantur, id omnibus fere commune est, quod fabula incipit ante lucem, deinde post primum actum iam dies adest. Solae hac ab regula recedunt, quod sciam, Rhesus et Pherecratis fabula Δουλοδιδάσκαλος quae inscripta erat. Cf. frg. 40.

Ex Menandri Epiclero Theo versus tres servavit: legimus enim eius in Progymnasmatis (Spengel IV. p. 92, v. 16) haec (Kock Nr. 164): ἔστι δὲ καὶ ἀνάπαλιν προθέντα γνωμικὸν λόγον διηγήσασθαι, καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ μύθου παρεσημειωσάμεθα· οἷον καὶ παρὰ Μενάνδρῳ ἐν τῇ χρηστῇ Ἐπικλήρῳ·

ἆρ' ἐστὶ πάντων ἀγρυπνία λαλίστατον.

εἶτα ἑξῆς τὸ διήγημα·

ἐμὲ γοῦν ἀναστήσασα δευρὶ προάγεται
λαλεῖν ἀπ' ἀρχῆς πάντα τὸν ἐμαυτοῦ βίον.

Hoc quoque loco de amore agi verisimile est. Solent enim in nova comoedia curae eae quae homines somnum capere non sinant ex amore natae esse. Adnotavit autem Duebnerus ad Epicleri versus haec: 'haec ex initio fabulae ducta esse, ideo a Menandro ficta, ut rerum quas scire deberent spectatores nar-

---

[1] Poeta tragico more loquitur. Conferas quod ad dicendi genus attinet exempli gratia Eur. El. v. 82, quo a versu nova scaena incipit: *Πυλάδη, σὲ γὰρ δὴ πρῶτον ἀνθρώπων ἐγὼ πιστὸν νομίζω* et alios locos. Ab illis autem versibus Menandri fabulam initium cepisse suspicor.

randarum esset occasio, et per se probabile est et apparet ex imitatione Turpilii comici apud Priscianum, ubi initia fere fabularum commemorantur:

quaeso edepol, quo ante lucem te subito rapis,
ere, cum uno puero? PH. *nequeo esse intus, Stephanio.*
ST. *quid ita?* PH. *ut solent, me curae somno segregant,*
forasque noctis excitant silentio.

servum addidisse Turpilius videtur, et apud Menandrum una persona loqui'. Verissima haec esse apparet, nisi quod fortasse id quoque cogitari possit Turpilium alteram Menandreae fabulae recensionem — duas enim Epicleros veteres noverunt — secutum esse. Si autem Turpilius ipse mutavit, certe non ex suo ingenio hausit, sed alia exempla Graeca ante oculos habuit. Quod cum aliis ex rebus tum ex magna similitudine efficitur quae eius versibus cum Curculionis initio est. Affero Curculionis v. 1, 2:

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
cum istoc ornatu cumque hac pompa,

et 9:

tute tibi puer es.

— Transeo ad tertium huius generis exemplum, quod sumendum est ex Menandri fabula Μισούμενος quae inscripta erat. Quamquam de fragmentis eius plerisque recte viri docti iam iudicaverunt, tamen cum et nonnulla addenda esse mihi videantur et quod sciam nemo fabulae reliquias eo ordine componere conatus sit quem in integra fabula fuisse conici potest, nos iam de protasis forma atque tenore coniecturam facere periclitemur. Summi momenti est locus quem legimus in Arriani dissert. Epict. IV. 1. 19: ὅρα ἃ λέγει καὶ ποιεῖ ὁ Θρασωνίδης, ὅς . . . . πρῶτον μὲν ἐξελήλυθε νυκτός, ὅτε ὁ Γέτας οὐ τολμᾷ ἐξελθεῖν . . . . εἶτα τί λέγει;

παιδισκάριόν με καταδεδούλωκ᾽ εὐτελές,
ὃν οὐδεὶς τῶν πολεμίων πώποτε . . .,

εἶτα ξίφος αἰτεῖ, καὶ πρὸς τὸν ὑπ᾽ εὐνοίας μὴ διδόντα χαλεπαίνει, καὶ δῶρα τῇ μισούσῃ πέμπει καὶ δεῖται καὶ κλάει. Videtur igitur protasis haec fuisse: miles, qui amore puellae incensus somnum capere nequit, nocturno tempore solus extra domum prodiens miserias suas simulque fabulae argumentum narrat. Huc pertinent versus modo allati duo, quos Arrianus servavit, deinde fragmentum 336:

παρ᾽ ἐμοὶ γάρ ἐστιν ἔνδον, ἔξεστιν δέ μοι

καὶ βούλομαι τοῦθ', ὡς ἂν ἐμμανέστατα
ἐρῶν τις, οὐ ποιῶ δέ [1],

et fortasse fragmentum 340:

ἐκ Κύπρου λαμπρῶς πάνυ
πράττων· ἐκεῖ γὰρ ὑπό τιν' ἦν τῶν βασιλέων.

Eri querimoniis e somno excitatus Geta servus quamquam timidus ipse quoque e domo procedit: ambo de misera militis con-

[1] Hoc cum loco fortasse ea conferri possunt quae ex Naevii Colace Nonius servavit (Ribbeck v. 30 sq.):

et volo
et vereor et facere in prolubio est . . .

Naevii Colax versa est ex Menandri exemplo cui idem nomen erat. Tamen hac quoque in fabula Menandrea militem gloriosum prodiisse et ex fragmentis elucet et Terentius in Eunuchi prologo testatur. Id quoque alicuius momenti est quod et in Misumeno et in Colace miles ille ex insula Cypro se venisse dicit. Conferas cum Misumeni fragmento 340 Colacis fragmentum 297:

γελῶ τὸ πρὸς τὸν Κύπριον ἐννοούμενος,

et 300 quoque: *βοῦς Κύπριος.* — Adnecto aliam rem: Terentius in Eunuchum militem ex Menandri Colace transtulit. Conferas Eunuchi prologi v. 30 sq. Itaque ex Colace ea quoque deprompta sunt quae inde a v. 771 legimus, ubi miles contra Thaidem cum servorum exercitu proficiscitur:

Hancine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?
mori me satiust. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
primum aedis expugnabo. — recte. — virginem eripiam. — probe.
— male mulcabo ipsam. — pulchre. — in medium huc agmen cum vecti, Donax;
tu, Simalio, in sinistrum cornum; tu, Syrisce, in dexterum.
cede alios: ubi centuriost Sanga et manipulus furum? — eccum adest.
780:
— ubi alii? — qui malum alii? solus Sannio servat domi etqs.

Miles igitur iactans magnum sibi servorum numerum esse simulat. Hoc cum loco ea congruunt quae leguntur apud Cornificium IV 50: ibi enim hominis gloriosi hoc esse dicitur: *cum puerum respicit hunc unum, quem ego novi — vos non arbitror —, alio nomine appellat, deinde alio atque alio. „[at heus] tu", inquit, „veni, Sannio, ne quid isti barbari turbent"; ut ignoti, qui audiunt, unum putent seligi de multis.* (Cf. Ribbeck, Alazon p. 46 sq.). Cum non modo similis res narretur, sed nomen quoque illius servi unius, Sannio, congruat, mihi veri simile videtur huius libri auctorem in describenda hominis gloriosi imagine Menandreas inprimis fabulas ante oculos habuisse. Quod alia quoque re fortasse probari potest. Insequenti enim capite (51) aliud affertur unde ostentator cognosci possit: *Sannioni puero negotium dederat, ut vasa vestimenta pueros rogaret. servulus non inurbanus satis strenue et concinne compararat. iste hospites domum deducit, ait se aedes maximas cuidam amico ad nuptias commodasse. nuntiat puer argentum repeti: pertimuerat enim qui commodarat. „apage", inquit, „aedes commodavi, familiam dedi: argentum quoque*

dicione colloquuntur, quo ex diverbio deprompta esse videntur fragmenta 341:

ὦ δυστυχής,
τί οὐ καθεύδεις; σύ μ' ἀποκναίεις περιπατῶν[1],

345, quod satis certa coniectura Meinekius hanc ad fabulam rettulit:

οὐπώποτ' ἠράσθης, Γέτα;[2]
— οὐ γὰρ ἐνεπλήσθην,[3]

342:

εἴσελθε κἂν νῦν, ὦ μακάριε[4],

---

vult? tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur". Hoc loco optime ea illustrari mihi videntur quae ex alia fabula Menandrea Athenaeus VI 231 a affert: dicit enim: *καὶ* (scil. *Μένανδρος*) *ἐν Ὑμνίδι* (frg. 475)·

ἀλλὰ τἀργυρώματα
ἥκω λαβεῖν βουλόμενος.

Audire enim mihi videor puerum illum qui vasa argentea reposcat. Hac autem in fabula militis gloriosi partes fuisse ipsum nomen *ΥΜΝΙΣ* docere videtur. Hymnis enim apud Lucianum in meretricum dialogo 13, cuius argumentum ex Menandri Misumeno depromptum esse Ribbeckius Alazon p. 36 sq. statuit, nomen illius puellae est cuius amore misero miles flagrat. Quod autem bis haec fabula *ἐν τῷ ΥΜΝΙΔΙ* citatur errore fieri potuit. — Quod ad rationem quae inter Lucianum et comicos intercedat attinet, adnoto hoc ipso dialogo *σπάθη* vocem (§ 317), id quod rarissime fit, gladium significare: cuius usus Pollux unum exemplum ex Menandri Misumeno, unum ex Philemone, unum ex Euripide affert.

[1] Cf. Ar. Nub. 35 sq.:

ἐτεόν, ὦ πάτερ,
τί δυσκολαίνεις καὶ στρέφῃ τὴν νύχθ' ὅλην;

et Lys. v. 707 sq.:

τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων;
— κακῶν γυναικῶν ἔργα καὶ θήλεια φρὴν
ποιεῖ μ' ἄθυμον περιπατεῖν τ' ἄνω κάτω.

[2] Erus humili servi fortunae invidere videtur. Conferas Eur. Iph. Aul. v. 16 sq.:

ζηλῶ σέ, γέρον,
ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον
βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς ἀκλεής·
τοὺς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ.

[3] Sententia fluxit ex Euripide. Conferas frg. 322 (Nauck²) ex Danae:

ἔρως γὰρ ἀργὸν κἀπὶ τοιούτοις ἔφυ·
φιλεῖ κάτοπτρα καὶ κόμης ξανθίσματα,
φεύγει δὲ μόχθους. ἓν δέ μοι τεκμήριον·
οὐδεὶς προσαιτῶν βίοτον ἠράσθη βροτῶν
ἐν τοῖς δ' ἔχουσιν ἡβητὴς πέφυχ' ὅδε.

[4] Cf. Eur. Iph. Aul. 16: *στείχωμεν ἔσω.*

335:

εἰ γὰρ ἐπίδοιμι τοῦτο, καὶ ψυχὴν πάλιν
λάβοιμ' ἐγώ· νυνὶ γάρ — ἀλλὰ ποῦ θεοὺς
οὕτως δικαίους ἔστιν εὑρεῖν, ὦ Γέτα;[1]

fortasse 346:

ἀφανεῖς γεγόνασιν αἱ σπάθαι.

Fragmentum 337:

Ἄπολλον, ἀνθρώπων τιν' ἀθλιώτερον
ἑόρακας; ἆρ' ἐρῶντα δυσποτμώτερον;

utrum sint ipsius militis soliloquentis verba an Getae dubitari potest. — Etiamsi autem Misumeni argumentum in ipsa fabula aut totum aut ex parte saltem expositum fuisse vidimus, tamen non sequitur ut illi fabulae prologus proprius defuerit. Et vestigium eius rei quamquam obscuratum nisi fallor deprehendere possumus: apud Libanium IV 512, 1 haec leguntur: ἔχεις ἐκ τῆς κωμῳδίας παραλαβών, ὡς ὑπέρογκόν τι καὶ σοβαρὸν καὶ πολλή τις ἀλαζονεία στρατιώτης ἀνήρ. εἴ τις ὑμῶν φαντάζεται τὸν Μενάνδρου Θρασωνίδην, οἶδεν ὃ λέγω· στρατιωτικὴν γάρ φησιν ἀηδίαν νοσοῦντα τὸν ἄνθρωπον εἰς ἀπέχθειαν αὑτῷ κινῆσαι τὴν ἐρωμένην. καὶ γέγονεν ἀμέλει προσηγορία τῷ δράματι τοῦ Θρασωνίδου τὸ μῖσος. Iam si comparamus tales locos qualis est in Plaut. Mil. gl. 88 sq.:

. . . . . illest miles meus erus,
qui hinc ad forum abiit: gloriosus, impudens,
stercoreus, plenus periuri atque adulteri.
ait sese ultro omnis mulieres sectarier.
is deridiculost, quaqua incedit, omnibus,

et Ar. Vesp. 71:

νόσον γὰρ ὁ πατὴρ ἀλλόκοτον αὐτοῦ νοσεῖ . . .

et alios locos, veri non dissimile est Libanii loco illi subesse non ita mutata ipsius poetae verba, quae a prologo argumentum exponente prolata esse videantur. — Restat quartus Menandri locus. Ex Dyscolo Choeroboscus haec affert (frg. 137):

ὦ δυστυχής, τί οὐ καθεύδεις;

---

[1] Cf. Cic. Tusc. disp. IV, 34, 72: *sin autem est aliquis amor, ut est certe, qui nihil absit aut non multum ab insania, qualis in Leucadia* (quae Turpilii fabula ipsa quoque ex Menandri exemplari versa est) *est* (Ribbeck v. 115 sq.):

si quidemst quisquam deus,
cuii ego sim curae.

Videtur et res et condicio similis subesse atque in Misumeno fuit.

Iam si quaerimus quis hunc expositionis modum invenerit, nemo, puto, antiquis poetis comicis hoc tribuere dubitabit, si perpenderit Nubium Aristophaneae initium, ubi Strepsiades ipse quoque curis e somno excitatus secum colloquitur, qua ratione spectatores de argumento certiores fiunt. Legas inprimis v. 1 sq.:

Ἰοὺ ἰού·
ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον
ἀπέραντον. οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;

11 sq.:

ἀλλ' εἰ δοκεῖ, ῥέγκωμεν ἐγκεκαλυμμένοι. —
ἀλλ' οὐ δύναμαι δείλαιος εὕδειν δακνόμενος
ὑπὸ τῆς δαπάνης καὶ τῆς φάτνης καὶ τῶν χρεῶν κτλ.

Animadvertendum autem est quod hanc quoque rem posterioris aetatis comici, ut solent, ad amorem praecipue transtulerunt. Cuius rei aliud exemplum supra iam tractavimus.

Deinde affero Alexis locum. Eius ex Midone Athenaeus XV 700 a haec tradit (frg. 148):

ὁ πρῶτος εὑρὼν μετὰ λυχνούχου περιπατεῖν
τῆς νυκτὸς ἦν τις κηδεμὼν τῶν δακτύλων [1].

Quis sit ille qui haec loquatur statui nequit. Protulisse autem eum argumentum quamquam certum non est, tamen satis veri simili coniectura suspicari possumus. Audire enim mihi videor hominem aliquem qui nescio cuius rei causa nocturno tempore cum lucerna in publico est. Itaque de protasi fabulae vix dubitari potest. Aptissime autem ab his ipsis versibus comoediam initium capere contenderim. Valde enim amaverunt poetae et tragici et comici in fabulae initio sententiam aliquam universam ponere. (Conferas Theonis locum supra allatum). Cuius rei exempla sunt Soph. Trach.; Eur. Heraclid. Or.; Arist. Plut.; Plauti Persa Trin. Truc.; Ter. Hec. Conferas cum Alexis loco inprimis Persae initium.

Adiungo propter condicionis similitudinem ea quae ex eiusdem poetae fabula Θεσπρωτοί cui nomen erat Athenaeus XII 552 de servavit (frg. 89):

---

[1] Confero Ar. Vesp. v. 246 sq.:

χωρῶμεν, ἅμα τε τῷ λύχνῳ πάντῃ διασκοπῶμεν,
μή που λίθος τις ἐμποδὼν ἡμᾶς κακόν τι δράσῃ.

Ἑρμῆ θεῶν προπομπὲ καὶ Φιλιππίδου
κληροῦχε, Νυκτός τ' ὄμμα τῆς μελαμπέπλου.

Haec quoque, quae quin nocte agantur vix quisquam dubitabit, initium fabulae fuisse et per se veri habet similitudinem et inde colligi potest, quod ad exemplum tragicorum exordiorum ficta sunt; conferas Euripideae Supplicum versus primos:

Δήμητερ ἑστιοῦχ' Ἐλευσῖνος χθονὸς
τῆσδ' οἵ τε ναοὺς ἔχετε πρόσπολοι θεᾶς

et alios locos.

Duobus illis ex exemplis quae supremo loco attuli cognosci non poterat, quales in fabula partes fuissent eius personae quae illa proferret. Idem in Diphili fragmentum 30 cadit, quod legitur apud Athenaeum VI 223 a: Δίφιλος δ' ἐν Ἐλαιωνηφρουροῦσι·

ὦ τόνδ' ἐποπτεύουσα καὶ κεκτημένη
Βραυρῶνος ἱεροῦ θεοφιλέστατον τόπον,
Λητοῦς Διός τε τοξόδαμνε παρθένε, [1]
ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία
ἐστὶν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις.

Initium fabulae recte Dziatzko agnovit. Nam poeta manifesto id agit, ut spectatores ubi res agatur doceat. Conferas initia Euripidearum Phoen. Alc. El. Suppl.

Alius quoque fragmenti huc pertinentis naturam sedemque Dziatzko recte perspexit. Est Antiphanis frg. 168, quod legimus apud Athenaeum III 108 e: τὰ ἐκ Νεοττίδος Ἀντιφάνους τάδε·

παῖς ὢν μετ' ἀδελφῆς εἰς Ἀθήνας ἐνθάδε
ἀφικόμην ἀχθεὶς ὑπό τινος ἐμπόρου,
Σύρος τὸ γένος ὤν. περιτυχὼν δ' ἡμῖν ὁδὶ
κηρυττομένοις ὀβολοστάτης ὢν ἐπρίατο,
ἄνθρωπος ἀνυπέρβλητος εἰς πονηρίαν,
τοιοῦτος οἷος μηδὲν εἰς τὴν οἰκίαν,
μηδ' ὧν ὁ Πυθαγόρας ἐκεῖνος ἤσθιεν
ὁ τρισμακαρίτης, εἰσφέρειν ἔξω θύμου.

In Aristophanis Equitibus Vespis Pace populus argumentum audit ex servo, qui de domini rebus verba facit. Similia occurrunt in Euripidis antiquioribus fabulis. Ne hoc quidem expo-

---

[1] Quis ausus sit poeta tragicus mirum hunc versum nescimus: fortasse nemo. Euripides Dianam *τοξόδαμνον* appellavit in Hipp. v. 1451:

τὴν τοξόδαμνον Ἄρτεμιν μαρτύρομαι.

sitionis genus deest in media et nova comoedia. Tale enim exemplum ex Eubulo Athenaeus servasse mihi videtur III 108 d: ὅτι γὰρ οὐδὲν τούτων πριάμενός ποτε ἔφαγεν εὖ οἶδα, τῶν τινος οἰκετῶν αὐτοῦ εἰπόντος μοί ποτε τὰ ἐκ Πορνοβοσκοῦ Εὐβούλου ἰαμβεῖα τάδε (frg. 88)·

τρέφει με Θετταλός τις ἄνθρωπος βαρύς,
πλουτῶν, φιλάργυρος δὲ κἀλιτήριος,
ὀψοφάγος, ὀψωνῶν δὲ μέχρι τριωβόλου.

Probabile videtur illum loqui qui argumentum expediturus sit, praesertim cum sine dubio ipsius lenonis, quippe qui primas partes in fabula agebat, mores describantur. Ex diverbio autem haec sumpta esse vix censebis. Quamquam autem fortasse dubitari potest utrum servus loquatur an meretrix[1] an parasitus, tamen quod ipse Athenaeus servum haec dicentem fingit ad rem diiudicandam alicuius momenti est.

Deinde huc refero Posidippi locum (Kock III p. 336). Athenaeus XIV 659 c haec habet: ἀλλ' ὅ γε Ποσείδιππος περὶ δούλων μαγείρων ἐν Ἀποκλειομένῃ φησίν·

ταυτὶ μὲν οὖν τοιαῦτα. συμβαίνει δέ τι
νῦν μοι διακονοῦντι παρὰ τῷ δεσπότῃ
ἀστεῖον· οὐχ ἁλώσομ' ἐκφέρων κρέας.

In iis quae praecedebant servus de condicione sua totiusque fabulae argumento copiosius egisse videtur[2]. Tales narrationes longiores poetae inprimis tragici hunc in modum (ταυτὶ μὲν οὖν τοιαῦτα) finire solent. Conferas Soph. Ai. v. 327:

τοιαῦτα γάρ πως καὶ λέγει κὠδύρεται,

El. v. 293: τάδ' ἐξυβρίζει.
299: τοιαῦθ' ὑλακτεῖ,

Eur. Alc. v. 196:
τοιαῦτ' ἐν οἴκοις ἐστὶν Ἀδμήτου κακά.

Adnectere hic libet eam expositionis rationem quam comoediis mythologicis, „tragicomoediis“, poetae adhibere solebant. Harum enim fabularum in initio una ex personis divinis rem exponit, quae cum ut deus omnia sciat ad hoc faciendum aptissima est. Talis prologi partem ex Anaxandridis Nereo Athenaeus servavit VII 295 e (frg. 30):

---

[1] Conferas Diphili frg. 87.
[2] De hoc loco fusius agitur in epimetro II.

ὁ πρῶτος εὑρὼν πολυτελὲς τμητὸν μέγα
γλαύκου πρόσωπον τοῦ τ' ἀμύμονος δέμας
θύννου τά τ' ἄλλα βρώματ' ἐξ ὑγρᾶς ἁλὸς
Νηρεὺς κατοικεῖ τόνδε πάντα τὸν τόπον.

Deinde huc refero quae ex alia fabula mythologica Athenaeus VII 307f servavit: Εὔβουλος Ναυσικάᾳ (frg. 68)·

ὃς νῦν τετάρτην ἡμέραν βαπτίζεται,
νῆστιν πονηροῦ κεστρέως τρίβων βίον.

Ulixem intellegendum esse recte Meinekius cognovit. Optime enim ille βαπτίζεσθαι dicitur, qui (Hom. Od. ε 371) ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων, qui igitur ut piscis modo submergitur modo emergit ex unda. Positi autem fuerunt illi versus, ni fallor, in prologo. Fabulae enim res sine dubio non in mari, sed in litore agebantur. Cum autem νῦν βαπτίζεται illud ad praesens tempus referendum sit, Ulixem apparet etiamtum fuisse in mari. De Ulixe autem in fluctibus versanti nemo homo quidquam scire poterat. Itaque cum statuendum sit hos versus non ex ipsius fabulae tenore depromptos esse, eo adducimur, ut prologo tribuamus. Eum autem qui hunc Nausicaae prologum pronuntiaret fuisse crediderim deum. Conferas Rudentis Plautinae prologum, ubi inde a v. 72 Arcturus similem rem narrat:

nunc ambo leno atque hospes in saxo simul
sedent eiecti: navis confractast eis.
illa autem virgo atque altera itidem ancillula
de navi timidae desuluerunt in scapham.
nunc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt
ad villam vivas, exul ubi habitat senex.

Exponitur utroque loco quod ad temporis punctum res progressa sit, unde ipsa fabula exordium capit. Exempli causa Apollinis quoque verba legas in Eur. Alc. inde a v. 19:

ἣ νῦν κατ' οἴκους ἐν χεροῖν βαστάζεται
ψυχορραγοῦσα· τῇδε γάρ σφ' ἐν ἡμέρᾳ
θανεῖν πέπρωται καὶ μεταστῆναι βίου.

Ceterum Nausicaae hoc fragmentum hic iam tractavi, quamquam concedendum est non posse diiudicari, num illius qui haec in prologo protulerit in ipsa quoque fabula partes fuerint. — Luculentissimum autem eius de quo agimus generis exemplum est Plautinae Amphitruonis prologus a Mercurio pronuntiatus.

Hoc prologorum genus, quod Euripidi deberi inter omnes constat, in antiqua quoque comoedia late patuit, ut omnino fabulae mythologicae origines quinto saeculo tribuendae sunt. Et ut alia exempla omittamus, plane eandem fabulam in qua Amphitruo Plautina versatur iam Archippus in Amphitruone et Plato in Nocte longa tractaverunt. Quod iam dudum viri docti intellexerunt. Eo magis miror neminem animadvertisse, quam accurate in componenda quoque fabula duae comoediae veteres illae cum Plautina congruisse videantur. Certe hoc demonstrari potest de Nocte longa, qua ex fabula Athenaeus in libro XV duos hos locos servavit (frg. 84 et 85); 700 f:

ἐνταῦθ' ἐπ' ἄκρων τῶν κροτάφων ἕξει λύχνον
δίμυξον.

699 f:

ἕξουσιν οἱ πομπεῖς λυχνούχους δηλαδή.

Quid enim rei sit optime perspici mihi videtur, si Amphitruonis conferimus versus inde a 140:

nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu
et servos, quoius ego hanc fero imaginem.
nunc internosse ut nos possitis facilius,
ego has habebo usque in petaso pinnulas:
tum meo patri autem torulus inerit aureus
suo in petaso: id signum Amphitruoni non erit.
148: *sed Amphitruonis ille est servos Sosia,*
a portu illic nunc cum lanterna advenit.

Describit igitur apud Platonem quoque ille qui prologum profert, Mercurius puto, faciem personarum quae paulo post in scaenam processurae sunt. Ille qui lucernam in capite fert ipse videtur Juppiter esse. Diversis rebus poetas hac in fabula ut distinguerent Iovem ab Amphitruone usos esse testimonio fortasse imago quoque est quam descriptam invenimus in Wieseleri libro Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens tab. IX fig. 11. Ibi enim modium, quem Graeci κάλαθον appellant, Juppiter in capite habet. Πομπεῖς illi, qui λυχνούχους gesturi esse dicuntur, non dubito quin Amphitruonis ministri sint. Λυχνοῦχον enim, id est lanternam, Sosia Plautinus quoque fert. Conferas inprimis v. 341:

quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris?

Photius p. 399 (Naber): λυχνοῦχον· τὸν κεράτινον φανόν, ἀπὸ τοῦ λύχνου ἐν αὐτῷ περιέχεσθαι, praeterea Phryn. Ecl. p. 59 et Ari-

stophanis fragm. 8. Videtur igitur mediae vel novae comoediae poeta ille quem Plautus secutus est satis accurate in instituenda fabula vestigia Platonis pressisse[1].

Ex Cratini Chironibus Diogenes Laertius I 62 haec tradit (frg. 228): ἀποκομίσαι αὐτοῦ (scil. Σόλωνος) τὰ ὀστᾶ εἰς Σαλαμῖνα καὶ τεφρώσαντας εἰς τὴν χώραν σπεῖραι· ὅθεν καὶ Κρατῖνος ἐν τοῖς Χίρωσί φησιν αὐτὸν ποιῶν λέγοντα·

---

[1] Similia alias quoque occurrunt. Conferas Plaut Men. v. 870:

lumbi sedendo, oculi exspectando dolent

cum Ar. Thesm. v. 846:

ἰλλὸς γεγένημαι προσδοκῶν.

Ad *ἀπροσδόκητον* illud quod legitur in Ar. Thesm. v. 531:

ἀλλ᾽ οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα πλὴν ἄρ᾽ ἢ γυναῖκες

proxime accedunt Menandri loci duo, frg. 509:

οὐκ ἂν γένοιτ᾽ ἐρῶντος ἀθλιώτερον
οὐδὲν γέροντος πλὴν ἕτερος γέρων ἐρῶν,

et frg. 656:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἀθλιώτερον πατρός,
πλὴν ἕτερος ἂν ᾖ πλειόνων παίδων πατήρ.

Cum Eupolidis fragmenti 146 v. 2:

ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἁλιτήριος

comparari potest Menandrei fragmenti 563 v. 4:

οἷος δ᾽ ἀλαζών ἐστιν ἁλιτήριος.

Eiusdem fragmenti v. 3:

τὰ σκώμμαθ᾽ οἷα τὰ σοφά τε καὶ στρατηγικά

quamquam corruptus conferatur cum Ar. Av. v. 362:

ὦ σοφώτατ᾽, εὖ γ᾽ ἀνεῦρες αὐτὸ καὶ στρατηγικῶς.

Ceterum *σκώμμαθ᾽* illud mutare, quod nonnulli viri docti fecerunt, vetat ni fallor Terentianae Eunuchi actus III scaena I, ubi miles quam facete alios irriserit gloriatur. Parasitus autem (v. 416):

pulchre mehercle, inquit, *dictum et sapienter. papae,*
iugularas hominem.

Ea quae leguntur in Plaut. Cas. v. 159 sq.:

ipsa (scil. vicina) *eccam egreditur.*
Myrrhina salve.
— *salve mecastor. sed quid tu es tristis, amabo?*

satis similia sunt Lysistratae Aristophaneae initio, ubi inde a v. 5 haec leguntur:

πλὴν ἥ γ᾽ ἐμὴ κωμῆτις ἥδ᾽ ἐξέρχεται.
χαῖρ᾽, ὦ Καλονίκη. — καὶ σύ γ᾽, ὦ Λυσιστράτη·
τί συντετάραξαι; μὴ σκυθρώπαζ᾽, ὦ τέκνον.

Cum Archippi fragmento 28: *ἐν δὲ τοῖς Ἰχθύσιν Ἄρχιππος τῷ δράματι ὡς ὀψοφάγον δήσας παραδίδωσι* (scil. Melanthium) *τοῖς ἰχθύσιν ἀντιβρωθησόμενον* conferas Plaut. Vid. frg. XXIV (Winter): *hunc iuvenem insui culleo atque deportari iussi annonam bonam piscibus.* — Praeterea legas scholion ad Thesm. v. 137.

οἰκῶ δὲ νῆσον, ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος,
ἐσπαρμένος κατὰ πᾶσαν Αἴαντος πόλιν.

Bergkius in libri De reliquiis comoediae Atticae antiquae p. 240 haec adnotat: 'Solon enim ex Orco arcessitus ubi sepultus sit explanat: cum enim ipsi Athenienses non satis certo scivisse videantur, quo loco sepulta sint Solonis ossa, poeta ita instituit, ut ex ipso Solone quaereretur, ubi esset humatus, quoniamque ille in rebus Salaminiis maxime egregie de patria erat meritus, fama ista usus est Solonis cineres per omnem insulam Salamina esse dispersos, quo significaret illum vel mortuum Salaminem omni cura comprehendere: aut ipse Cratinus primus huius rumoris fuit auctor, quamquam hoc quidem minus convenit cum illis verbis, quae addit poeta, ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος.' Valde miror neminem in Bergkianis his haesisse. Mihi quidem hi versus flagitare atque clamare videntur, ut in Solonis monologo eos sedem habuisse censeamus. Nam non modo satis mire illi qui interrogaret, sive homo sive deus vel heros secundum Bergkium fuisse putandus esset, Solon responderet: ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος in insula Salami habito, ita ut dicturus esse videretur re vera alibi se sedem habere, sed etiam parodiae consilium, quod poeta habuisse mihi videtur, movet, ut soliloquio hos versus tribuamus. Legas enim similia in prologis Euripideis, velut Hecubae v. 28, ubi Polydori umbra loquitur:

κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ
πολλοῖς διαύλοις κυμάτων φορούμενος,
. . . . νῦν δ' ὑπὲρ μητρὸς φίλης
Ἑκάβης αἴσσω,

Andromachae v. 16, 17:

Φθίας δὲ τῆσδε καὶ πόλεως Φαρσαλίας
σύγχορτα ναίω πεδί(α) . . .,

Herculis v. 1 sq. Deinde cum mirum illud ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος poeta scriberet — nam satis mirum mihi videtur eum qui in scaenam prodeat, qui igitur verus homo vel heros esse fingatur, ipsum nescire ubi habitet — nihil aliud in animo habuisse eum puto, nisi ut morem Euripidis irrideret, cuius personae exordium proferentes saepe talia addunt. Compares Hel. v. 18 sq.:

ἔστιν δὲ δὴ
λόγος τις ὡς Ζεὺς μητέρ' ἔπτατ' εἰς ἐμὴν

Λήδαν κύκνου μορφώματ' ὄρνιθος λαβών,
ὃς δόλιον εὐνὴν ἐξέπραξ' ὑπ' ἀετοῦ
δίωγμα φεύγων, εἰ σαφὴς οὗτος λόγος.

Or. v. 5 sq.:

ὁ γὰρ μακάριος, κοὐκ ὀνειδίζω τύχας,
Διὸς πεφυκώς, ὥς λέγουσι, Τάνταλος
κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον
ἀέρι ποτᾶται καὶ τίνει ταύτην δίκην,
ὡς μὲν λέγουσιν, ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὢν
κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον,
ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν,

Iph. Aul. v. 71 sq.:

ἐλθὼν δ' ἐκ Φρυγῶν ὁ τὰς θεὰς
κρίνων ὅδ', ὡς ὁ μῦθος Ἀργείων ἔχει,
Λακεδαίμον(α) κτλ.

Phoen. v. 7 sq.:

ὃς παῖδα γήμας Κύπριδος Ἁρμονίαν ποτὲ
Πολύδωρον ἐξέφυσε, τοῦ δὲ Λάβδακον
φῦναι λέγουσιν, ἐκ δὲ τοῦδε Λάιον.

Apparet autem hoc additamentum non personarum loquentium, sed ipsius poetae esse, qui non ita apte quid ipse de mythis sentiat personas illas proferentes fingit[1]. Conferas Melanippae sapientis quoque initium in alteram magis partem vergens (Nauck frg. 481):

Ζεύς, ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο,
Ἕλλην' ἔτικτεν.

Similem in modum lusisse mihi videtur Strattis in Phoenissis, qua ex fabula Athenaeus XIV 621 f nonnullos versus affert. Dicit enim: ὅτι δὲ καινουργοῦσιν κατὰ τὰς φωνὰς οἱ Θηβαῖοι Στράττις ἐπιδείκνυσιν ἐν Φοινίσσαις διὰ τούτων (frg. 47)·

ξυνίετ' οὐδέν, πᾶσα Θηβαίων πόλις,

---

[1] Diversae indolis sunt Aeschylei loci ut Eumen. v. 1 sq.:

Πρῶτον μὲν εὐχῇ τῇδε πρεσβεύω θεῶν
τὴν πρωτόμαντιν Γαῖαν· ἐκ δὲ τῆς Θέμιν,
ἣ δὴ τὸ μητρὸς δευτέρα τόδ' ἕζετο
μαντεῖον, ὡς λόγος τις.

et Suppl. v. 230 sq.:

κἀκεῖ (apud inferos) *δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος,*
Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας,

et Trachiniarum exordium.

οὐδέν πότ' ἀλλ' ἢ πρῶτα μὲν τὴν σηπίαν
ὀπιτθοτίλαν, ὥς λέγουσ', ὀνομάζετε κτλ.

Itaque si recte haec disputata sunt, sequitur Chirones prologum Euripidei generis habuisse a Solone pronuntiatum.

Omnes hae fabulae de quibus egimus initium capiunt a soliloquio quod argumentum continet. Nonnumquam autem poetae sic rem instituerunt, ut in fabulae principio diverbium ponerent, quod tamen non in argumento exponendo versaretur, deinde postquam aut altera persona decessit, altera, aut ambo abierunt, nova persona prologi munere fungeretur. Quod fit in Plautinis et Milite glorioso (II 1) et Cistellaria (I 2). Ex Graecorum fragmentis unum novi quod huc pertinere videtur. Est Alexis frg. 108, quod legitur apud Athenaeum X 443 d: Ἄλεξις δ' ἐν Κουρίδι περί τινος πλέον πίνοντος διαλεγόμενός φησιν·

ὁ μὲν οὖν ἐμὸς υἱός, οἷον ὑμεῖς ἀρτίως
εἴδετε, τοιοῦτος γέγονεν, Οἰνοπίων τις ἢ
Μάρων τις ἢ Κάπηλος ἢ ⟨τις⟩ Τιμοκλῆς·
μεθύει γάρ· οὐδὲν ἕτερον. ὁ δ' ἕτερος — τί ἂν
τύχοιμ' ὀνομάσας; βῶλος, ἄροτρον, γηγενὴς
ἄνθρωπος.

Alter enim filius sine dubio antea iam in scaena fuit. Similis res subest, quamquam de expositionis forma iudicari nequit, Menandri fragmento 615:

ἐγὼ δ' ἀνόητος, εὐτελὴς ὑπερβολῇ,
ὁ δ' ἄσωτός ἐστι, πολυτελής, θρασὺς σφόδρα,

et Pomponii v. 162, ut eo usque descendam:

alter amat potat prodit, patrem suppilat semper.

Hoc unum certum videtur, eos qui hos versus proferant solos in scaena esse et ad spectatores conversos verba facere. De ipso argumento memineris Terentianae Adelphorum quoque et Aristophaneae fabulae primae, Δαιταλέων.

Iam eam ad quaestionem aggrediamur a quibus poetis totum hoc expositionis genus profectum sit. Hoc autem ut cognosci possit, inter duas horum prologorum species distinguendum est. Altera eas fabulas complectitur quae ordiuntur a vero monologo, altera eas in quibus ille qui primus prodit ad spectatores conversus argumentum exponit: quo de discrimine iam supra diximus. Atque priori quidem illi ex locis tractatis aut certa ratione aut magna cum verisimilitudine attribuendae sunt

Menandri frg. 739, Misumeni initium, deinde exordium Truculenti, quae fabula ipsa quoque Menandri exemplo niti a nonnullis putatur, aliorum poetarum ut videtur Alexis frg. 89 et 148. Contra omnes fere poetae et mediae et novae comoediae alterius generis exempla exhibent: huc pertinet Antiphanis fragmentum 168, Eubuli 88, Alexidis 108, Theophili 12, Philemonis[1] initium quod ex Plautina Mercatore novimus, Posidippi frg. 2, Cistellariae scaena II, qua in fabula ipsa quoque Plautus Menandrum secutus esse videtur, incerti poetae fabula quae exemplum fuit Plautinae Militis gloriosi. (Tragicomoedias, quarum causa aliquanto diversa est, nunc praetermitto). Profectum autem est prius illud genus, quod, si ex his locis aliquid concludere licet, Menandro praecipue placuit, sine ullo dubio ex prologis Euripideis, alterum ex comoedia antiqua. Conferas Equitum v. 36 sq.:

βούλει τὸ πρᾶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω;

40: λέγοιμ' ἂν ἤδη,

Vesp. v. 54:

φέρε νῦν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον,

86 sq.:

εἰ δὴ ἐπιθυμεῖτ' εἰδέναι, σιγᾶτε νῦν.
φράσω γὰρ ἤδη τὴν νόσον τοῦ δεσπότου,

Pacis versus inde a 50.

Sed operae pretium est paulo diutius illo in genere quod ab Euripide profectum esse diximus morari. Ut enim multo pulchrius et poesi dramatica dignius esse apparet, ita non parvas in se habet difficultates. Nam primum quidem saepe non facile erat satis idoneas invenire causas quibus commotae personae illae προλογίζουσαι secum ipsae loquerentur. Videamus quomodo poetae illi hanc rem instituerint. In ipsius Euripidis Medea paedagogus nutricem inde a v. 50 hunc in modum interrogat:

τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγουσ' ἐρημίαν
ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά;

respondet illa v. 56:

ἐγὼ γὰρ εἰς τοῦτ' ἐκβέβηκ' ἀλγηδόνος,

---

[1] Memorabile est quod quamquam omnibus fere ceteris in rebus Mercatoris et Truculenti initiis summa est similitudo, tamen huic praecedit prologus proprius, illi non praecedit. Nempe Mercatoris scaena prima ipsa videbatur prologus esse, Truculenti quasi fabulae pars erat.

ὥσθ' ἵμερος μ'ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας.

Andromacha in fabula quae ex ea ipsa nomen duxit secum miserias suas deliberans inde a v. 91 haec profert:

ἡμεῖς δ', οἷσπερ ἐγκείμεσθ' ἀεὶ
θρήνοισι καὶ γόοισι καὶ δακρύμασι,
πρὸς αἰθέρ' ἐκτενοῦμεν· ἐμπέφυκε γὰρ
γυναιξὶ τέρψις τῶν παρεστώτων κακῶν
ἀνὰ στόμ' ἀεὶ καὶ διὰ γλώσσης ἔχειν.

Similia sunt Hecubae verba in Troad. inde a v. 110:

τί με χρὴ σιγᾶν; τί δὲ μὴ σιγᾶν;[1]
τί δὲ θρηνῆσαι;

120 sq.: μοῦσα δὲ χαὔτη τοῖς δυστήνοις
ἄτας κελαδεῖν ἀχορεύτους,

et Iphigeniae versus (Iph. T. 42 sq.):

ἃ καινὰ δ'ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα,
λέξω πρὸς αἰθέρ', εἴ τι δὴ τόδ' ἔστ' ἄκος[2],

Electrae (El. 54 et 59):

ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ ......
γόους τ'ἀφίημ' αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί.

Sescenta autem eius praecipue generis exempla in tragoedia inveniuntur ubi aliquis aut Nocti vel Soli vel alii deo adversam fortunam suam conqueratur, aut in aethera querimonias suas effundat[3]. Idem sine dubio in comoedia quoque creberrimum erat. Exempli causa unius Menandrei loci mentionem facio, quem supra iam attuli (frg. 739):

ὦ νύξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον Ἀφροδίτης θεῶν
μετέχεις μέρος.

Sed ipsi comici eandem rem poetarum usu nimis tritam ioco

---

[1] Eundem in modum Prometheus loquitur in fabula Aeschylea. Postquam enim inde a v. 88 (*ὦ δῖος αἰθήρ* etqs.) iniuriam sibi illatam querens aethera invocavit, sic pergit (106):

ἀλλ' οὔτε σιγᾶν οὔτε μὴ σιγᾶν τύχας
οἷόν τέ μοι τάσδ' ἐστί.

[2] Similiter Hecuba somnio perterrita in scaenam prodit. Cf. Hec. v. 53 sq.:

. . περᾷ γὰρ ἥδ' ὑπὸ σκηνῆς πόδα
Ἀγαμέμνονος, φάντασμα δειμαίνουσ' ἐμόν.

[3] Non inutile est hac cum re aliam conferre: poetae enim operam dant ne personae eae quae in scaenam prodeant sine certa aliqua causa

atque lusui habuerunt, quod pulcherrime elucet e Plautinae Mercatoris loco. Ibi enim inde a. v. 12 haec legimus:

non ego item facio, ut alios in comoediis
vi vidi amoris facere, qui aut Nocti aut Dii
aut Soli aut Lunae miserias narrant suas:
quos edepol ego credo humanas querimonias
non tanti facere, quid velint quid non velint:
vobis narrabo potius meas nunc miserias.

Quae quamquam et Dziatzkoni Reinhardto Goetzio interpolatoris esse videbantur, et Ritschelio quoque, qui totum fere Mercatoris prologum posteriore demum tempore conscriptum esse iudicabat, ut videtur displicebant, mea quidem sententia certissime ex poetae Graeci exemplo — fuit Philemonis Ἔμπορος — translata sunt. Philemo igitur satis lepide atque scite se rationem illam a Menandro maxime usurpatam, qua spectatores ut ita dicam defraudabantur, spernere dicit. Quin poeta Graecus loquatur nemo, puto, dubitabit, si leget ea quae ex Theogneti fabula Φάσμα ἢ Φιλάργυρος quae inscripta erat Athenaeus III 104 c affert (Kock III p. 364, frg. 1, v. 7 sq.):

ἐπαρίστερ᾽ ἔμαθες, ὦ πόνηρε, γράμματα·
ἀντέστροφέν σου τὸν βίον τὰ βιβλία·
πεφιλοσόφηκας γῇ τε κοὐρανῷ λαλῶν,
οἷς οὐθέν ἐστιν ἐπιμελὲς τῶν λόγων,

quae verba mire cum Mercatoris illis congruunt. Theognetum autem Plautus secutus non est. Videtur igitur et Plautus et Theognetus Philemonis locum ante oculos habuisse. Similia parodiae causa idem Philemo alias quoque profert: legas ea a quibus coquus eius in Milite (frg. 79) orationem exorditur (Athen. VII 288 d):

ὡς ἵμερός μ᾽ ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολόντι τοὖψον ὡς ἐσκεύασα,

---

prodire videantur. Quibus omnibus in rebus inprimis Euripides multa novavit. Exempli gratia affero Alcest. v. 205 sq.:

ὅμως δὲ καίπερ σμικρὸν ἐμπνέουσ᾽ ἔτι
βλέψαι πρὸς αὐγὰς βούλεται τὰς ἡλίου.

Inde a v. 244 Alcestis procedit. Et Hippolyti locum inde a v. 178:

τόδε σοι φέγγος, λαμπρὸς ὅδ᾽ αἰθήρ·
ἔξω δὲ δόμων ἤδη νοσερᾶς
δέμνια κοίτας.
δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοι.

Hecubae quoque versus modo allati huc spectant.

quae sunt Euripidea ex Medea deprompta [1]. — Sed talibus quoque locis quibus προλογίζοντες illi homines omnia ad spectatores conversi proferunt neque omnino verisimilitudinis speciem curant, saepe quasi se excusandi causa aliquid praemittunt quo commoti spectatoribus rem exponant. Sic alius vino alius loquacitate sua alius insomnia ad loquendum se cogi fingit, alius quod arbitri non adsint quid rei sit se demonstraturum esse dicit. Exempla huius usus haec affero: in Plauti Cistellaria lena inde a v. 121 haec profert:

quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sententia,
quiaque adeo me conplevi flore Liberi,
magis libera uti lingua conlibitum est mihi;
tacere nequeo misera, quod tacito usus est.

Deinde argumentum narrat. Similia Astaphium in Truculento (210 Schoell):

Requievi quia hinc intero abiit odium meum.
tandem sola sum: nunc quidem meo arbitratu
loquar libere quae volam et quae lubebit.

Menandri locum ex Epiclero iam supra attulimus (frg. 164):

ἆρ᾽ ἐστὶ πάντων ἀγρυπνία λαλίστατον.
ἐμὲ γοῦν ἀναστήσασα δευρὶ προάγεται
λαλεῖν ἀπ᾽ ἀρχῆς πάντα τὸν ἐμαυτοῦ βίον.

Eiusdem Menandri, si quidem est Menandri, huc refero frg. 721, quamquam quid rei sit non satis perspicio. Exscribo igitur Kockium: "Gregorius Nazianz. Apol. p. 14 ed. Bas. οὐδὲν γὰρ οὕτως ἡδὺ τοῖς ἀνθρώποις ὡς τὸ λαλεῖν τἀλλότρια. 'ex Menandro haec petita esse, indicante Porsono ad Eur. Or. 228, monuit Elias Cretensis. Porsonus conicit οὐδὲν γὰρ οὕτως ἐστὶν ἀνθρώποις γλυκύ, | ὡς τοὐκλαλεῖν τἀλλότρια'. Mein. Porsoni adnotationem frustra quaesivi." Illud autem veri simile mihi videtur eum qui

---

[1] Similiter atque Philemo in Mercatore Diphilus ludit fragmento illo iam supra allato (Athen. VI 223 a):

ὦ τόνδ᾽ ἐποπτεύουσα καὶ κεκτημένη
Βραυρῶνος ἱεροῦ θεοφιλέστατον τόπον,
Λητοῦς Διός τε τοξόδαμνε παρθένε,
ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία
ἐστὶν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις,

ubi poeta tragico more fabulam exorditur, deinde autem tragico dicendi generi illi in v. 3 illudens in risum totam rem vertit. Quinti versus sententiam copiose tractavit Antiphanes in Poesi fabula. cf. frg. 191.

haec dicat causam proferre cur argumentum exponat. — Addendus est versus ex Plautina Artemone quem Festus p. 305, 27 servavit:

nunc mihi licet quidvis loqui: nemo hic adest superstes[1].

Animadvertendum autem est quod omnia haec exempla Menandri fuerunt, si quidem recte viri docti Truculentum et Cistellariam ex huius poetae fabulis fluxisse statuerunt. Cum igitur ceteri poetae liberius hanc rem instituerint, Menandri hoc proprium fuisse videtur, ut quasi vereretur tales personas quae statim ad spectatores se converterent in scaenam producere. Quod cum iis quae supra de Menandri consuetudine diximus optime congruit.

Alia difficultas huic expositionis generi, in quo spectatores ab aliquo homine vere secum ipso loquente, non narrante, de argumento certiores fiant, inde nascitur, quod saepe non facile fieri potest, ut ille satis apte quo loco res agi putandae sint, quod suum ipsius nomen sit, alias huius generis res exponat. Quam ad rem propius accedamus, ita tamen ut de nominis solummodo commemoratione nunc agamus. Proficisci autem utile est non a comoedia, sed ab Euripide, cuius ex tragoediis plurimum hac de re discimus. De Euripidis usu Arnimius in dissertationis De prologorum Euripideorum arte et interpolatione p. 82 hanc legem statuit: 'in eis fabulis omnibus quae ante Siculam expeditionem actae sunt primis statim versibus persona προλογίζουσα quae sit significat: neglegentiorem se gessit Euripides in fabulis quas post illam scripsit.' Quae recte observata sunt. Sed cohaeret haec res cum alia. Neminem fugere potuit etiam inter ipsos Euripidis prologos aliquantum illius discriminis intercedere de quo antea verba fecimus. Cum enim in exordiorum parte ὁ προλογίζων non ea quae cum animi condicione atque affectu congruant, sed omnia quibus ad rem probe intellegendam opus sit

---

[1] Quamquam valde dubium est num ante argumenti narrationem haec posita fuerint. Apparet enim in cuiusvis soliloquii initio recte talia poni posse. Idem cadit in locum Graecum (Kock Adespoton 104), cuius versus priores simillimi sunt:

ἐρημία μέν ἐστι, κοὐκ ἀκούσεται
οὐδεὶς παρών μου τῶν λόγων ὧν ἂν λέγω.

Addo Plautinae Pseudoli v. 394:

postquam ille hinc abiit, tu astas solus, Pseudole.

proferat, et quamquam non ipsos spectatores alloquitur[1], tamen eorum causa verba faciat, ita ut hi prologi non multum iam distent ab Aristophanis Equitum Vesparum aliis prologis, aliis in fabulis,

---

[1] Non desunt in tragoedia loci quibus plane ad comicorum consuetudinem poeta descendat. Sic in Eur. Or. inde a v. 128 Electra de Helena, quae modo abiit, haec dicit:

εἴδετε παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθρισεν τρίχας,
σῴζουσα κάλλος; ἔστι δ' ἡ πάλαι γυνή.
θεοί σε μισήσειαν, ὥς μ' ἀπώλεσας κτλ.

Praeter ipsam Electram et fratrem dormientem nemo in scaena adest. Et in Iph. Taur. v. 1289 nuntius de choro haec profert:

ὁρᾶτ', ἄπιστον ὡς γυναικεῖον γένος,
μέτεστί θ' ὑμῖν τῶν πεπραγμένων μέρος.

Simili dicendi genere utitur Ar. in Ach., ubi in diverbio inter Dicaeopolim et Megarensem haec legimus (769 sq.):

ἦ οὐ χοῖρός ἐσθ' ὅδ'; — οὐκ ἔμοιγε φαίνεται.
— οὐ δεινά; θᾶσθε τοῦδε τὰς ἀπιστίας·
οὔ φατι τάνδε χοῖρον ἦμεν. ἀλλὰ μάν,
αἴ λῇς, περίδου μοι κτλ.

et in Av. 1208 sq., ubi res agitur inter Pithetaerum et Irim:

κατὰ ποίας πύλας
εἰσῆλθες εἰς τὸ τεῖχος, ὦ μιαρωτάτη;
— οὐκ οἶδα μὰ Δί' ἔγωγε κατὰ ποίας πύλας.
— ἤκουσας αὐτῆς οἷον εἰρωνεύεται;
πρὸς τοὺς κολοιάρχους προσῆλθες;

Ex Plaut. Sticho affero v. inde a 408:

nam iam Antiphonem conveni adfinem meum,
cumque eo reveni ex inimicitia in gratiam.
videte quaeso, quid potest pecunia.

Simile frigus atque Orestis loco iis inest quae in Helena fabula ipsa quoque posterioris aetatis Menelaus profert in v. 420 sq.:

χρεία δὲ τείρει μ'· οὔτε γὰρ σῖτος πάρα
οὔτ' ἀμφὶ χρῶτ' ἐσθῆτες· αὐτὰ δ' εἰκάσαι
πάρεστι ναὸς ἔκβολ' οἷς ἀμπίσχομαι,

quibuscum conferas Plaut. Rud. v. 293:

nos iam de ornatu propemodum ut locupletes simus scitis.

Poen. v. 91 sq.:

vosmet nunc facite coniecturam ceterum,
quid id sit hominis, quoi Lyco nomen siet.

Truc. v. 463, 464:

vosmet iam videtis me ut ornata incedo:
puerperio ego nunc med esse aegram adsimulo.

Merc. v. 102 sq.:

ea nocte mecum illa (mulier) *hospitis iussu fuit.*
vosmet videte, quam mihi valde placuerit:
postridie hospitem adeo, oro ut vendat mihi.

quae priore pleraeque tempore actae sunt, poeta magis operam dat, ut personae προλογίζουσαι revera secum loqui et deliberare videantur. Cuius generis eae praecipue fabulae sunt in quibus personas illas aliqua re graviter animo commotas esse fingitur. Affero has fere: Cycl. Alc. Med. Heraclid. Andr. Suppl. Quamquam ipsa res fert, ut duo haec genera inter se confundantur neque accurate discerni possint[1]. Cum autem ceteris in fabulis ille qui primus prodit statim nomen suum proferre soleat, ita ut nullo modo intellegi possit qua de causa, nisi spectatorum gratia, hoc faciat, in illis fabulis in quibus poeta veri similitudinem minus neglexit aut certa aliqua cum ratione ex hominis illius condicione deprompta nominis mentio fit, aut omittitur ipsum nomen, quod tamen a spectatoribus aliis ex rebus prolatis sine ulla difficultate divinari possit. Sic in Alcestidis prologo ab Apolline pronuntiato nusquam eius nomen legitur, donec in diverbio quod in scaena altera inter Apollinem et Θάνατον fit hic eum (v. 30) alloquitur. Tamen ex primis iam versibus et ex specie habituque unusquisque spectatorum deum agnoscebat. (Conferas Wilamo-

---

Ex Graecorum fragmentis affero Teleclidis 31 (Kock I p. 217):

ὡς οὖσα θῆλυς εἰκότως οὖθαρ φέρω.

Qui loci maximam partem ex prologis deprompti sunt.

[1] Memorabile est initium Iphigeniae Taur., in quo facile distinguis duas partes diversas. In prima, quae pertinet inde a v. 1 usque ad 41, Iphigenia simpliciter ea quibus nititur fabulae argumentum exponit, ita ut eius rei quam Graeci ἦθος vocant nihil fere insit et prologum proprium Latinum audire videaris. Deinde autem cum ad somnium quo proxima nocte perterrita sit narrandum transeat, iam aliquid sibi fingit causae cur illud proferat: legas versus inde a 42:

ἃ καινὰ δ' ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα,
λέξω πρὸς αἰθέρ', εἴ τι δὴ τόδ' ἔστ' ἄκος.
ἔδοξ' ἐν ὕπνῳ κτλ.

Et cum antea cur Iphigenia omnino in scaenam progressa sit spectatores nullo modo intellegere potuerint, hac iam in parte talia poeta aliquo modo curat. Conferas praeter locum allatum versus inde a 61:

νῦν οὖν ἀδελφῷ βούλομαι δοῦναι χοὰς
ἀποῦσ' ἀπόντι, ταῦτα γὰρ δυναίμεθ' ἄν,
σὺν προσπόλοισιν, ἃς ἔδωχ' ἡμῖν ἄναξ
Ἑλληνίδας γυναῖκας. ἀλλ' ἐξ αἰτίας
οὔπω τίνος πάρεισιν; εἶμ' εἴσω δόμων
ἐν οἷσι ναίω τῶνδ' ἀνακτόρων θεᾶς.

Quamquam misera haec omnia esse nemo negabit. — Similia aliis in fabulis statui possunt. Conferas initium et clausulam soliloquii a quo Phoenissae incipiunt cum media eius parte.

witzii Analecta Euripidea p. 203). Multo etiam facilius hoc erat in Cyclope, cuius fabulae ipsius quoque in prologo Sileni nomen non commemoratur. — Aliter comparatum est Andromachae exordium, in quo ipsa Andromacha nomen suum profert, ita autem ut magnum in eo acumen positum sit:

Ἀσιάτιδος γῆς σχῆμα, Θηβαία πόλις,
ὅθεν ποθ' ἕδνων σὺν πολυχρύσῳ χλιδῇ
Πριάμου τύραννον ἑστίαν ἀφικόμην
δάμαρ δοθεῖσα παιδοποιὸς Ἕκτορι,
ζηλωτὸς ἔν γε τῷ πρὶν Ἀνδρομάχη χρόνῳ,
νῦν δ' εἴ τις ἄλλη δυστυχεστάτη γυνή[1].

Quam ad rationem proxime accedit Sophocleae Oedipi regis prologus, de quo egimus in epimetro III. Deinde notabile est, quod hanc ad rem attinet, Heraclidarum initium. Quamquam enim Arnimio (p. 82) concedo ex iis quae inde a v. 6 ὁ προλογίζων proferebat spectatores attentos et qui non plane essent stupidi atque indocti Iolaum facile cognoscere potuisse, tamen Euripides, qua fuit in narrando argumento omnibusque rebus ad rem probe intellegendam necessariis vel utilibus exponendis cura et diligentia, ne ipsum quidem illius nomen omittere voluit. Vide autem quomodo eius mentionem fecerit. Inde a v. 26 haec legimus:

ἐγὼ δὲ σὺν φεύγουσι συμφεύγω τέκνοις

---

[1] Hoc cum loco conferas exordium unius Sophocleae illius fabulae quae a soliloquio incipit, Trach. v. 1 sq.:

Λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς,
ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοις βροτῶν, πρὶν ἂν
θάνῃ τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς οὔτ' εἴ τῳ κακός·
ἐγὼ δὲ τὸν ἐμόν, καὶ πρὶν εἰς Ἅιδου μολεῖν,
ἔξοιδ' ἔχουσα δυστυχῆ τε καὶ βαρύν,
ἥτις πατρὸς μὲν ἐν δόμοισιν Οἰνέως
ναίουσ' ἔτ' ἐν Πλευρῶνι νυμφείων ὄκνον
ἄλγιστον ἔσχον, εἴ τις Αἰτωλὶς γυνή.

Quamquam, si recte sentio, multo minus feliciter Sophocli res cessit quam Euripidi. Nam ex Trach. v. 8 spectatoribus Deianirae nomen divinandum erat, apud Euripidem aperte Andromachae nomen affertur. Et cum Andromacha aptissime et pulcherrime de se ut de alieno quodam homine dicat, non satis intellegitur cur Deianira Aetolarum tantummodo mulierum miserrimam se esse contendat: nisi eam ob causam factum est, ne quis spectatorum errare posset. Ipsum *Δηιάνειρα* nomen in v. 49 demum occurrit, ubi ancilla eam alloquitur. Ceterum si ipsos illos Euripidis versus Sophocles ante oculos habuit, quod veri non est dissimile, inde sexti versus Euripidei scriptura, quae incerta est, confirmatur.

καὶ σὺν κακῶς πράσσουσι συμπάσχω κακῶς
ὀκνῶν προδοῦναι, μή τις ὧδ' εἴπῃ βροτῶν·
ἴδεσθ', ἐπειδὴ παισὶν οὐκ ἔστιν πατήρ,
Ἰόλαος οὐκ ἤμυνε συγγενὴς γεγώς.

Quin autem Euripidis hoc fuerit consilium, ut nomen spectatores audirent, nemo puto dubitabit, si aliis quoque locis hoc artificio eum usum esse videbit. Affero hos locos: in Medea inde a v. 446, cui chori canticum antecedit, Iason primum in scaenam prodit; orditur autem orationem hunc in modum:

οὐ νῦν κατεῖδον πρῶτον ἀλλὰ πολλάκις
τραχεῖαν ὀργὴν ὡς ἀμήχανον κακόν.
σοὶ γὰρ παρὸν γῆν τήνδε καὶ δόμους ἔχειν
κούφως φερούσῃ κρεισσόνων βουλεύματα,
λόγων ματαίων οὕνεκ' ἐκπεσεῖ χθονός.
κἀμοὶ μὲν οὐδὲν πρᾶγμα· μὴ παύσῃ ποτὲ
λέγουσ' Ἰάσων ὡς κάκιστός ἐστ' ἀνήρ.

Minus apte Menelaus, qui in Oreste inde a v. 356 primum progreditur, ipse nomen suum nuntiat; dicit enim (362 sq.):

ἐκ δὲ κυμάτων
ὁ ναυτίλοισι μάντις ἐξήγγειλέ μοι
Νηρέως προφήτης Γλαῦκος ἀψευδὴς θεός,
ὅς μοι τόδ' εἶπεν ἐμφανῶς κατασταθείς·
Μενέλαε, κεῖται σὸς κασίγνητος θανὼν κτλ.

Nam cur tam accurate ipsa Glauci verba afferantur, nisi spectatorum causa, difficile est intellectu. Ipsum iam Aeschylum artificiosa hac ratione populum docuisse qui essent illi qui prodirent, discimus ex iis quae Oceanus in Prometheo inde a v. 288 primum in scaenam progressus dicit. Conferas versum 298 et sequentes:

φέρε γὰρ
σήμαιν' ὅ τι χρή σοι συμπράττειν·
οὐ γάρ ποτ' ἐρεῖς ὡς Ὠκεανοῦ
φίλος ἐστὶ βεβαιότερός σοι.

Eiusdem vel similis rationis exempla occurrunt in nova comoedia. Terentii in Adelphis, quae fabula principium capit ex soliloquio, Micionis nomen non legitur ante v. 60. Ibi autem Micio postquam se cum fratre suo multis in rebus dissentire exposuit sic pergit:

haec fratri mecum non conveniunt neque placent.

venit ad me saepe clamans „quid agis, Micio?
quor perdis adulescentem nobis? quor amat?“ etqs.

In Plautina Mercatore Acanthionis servi, qui in act. I scaena II prodit, haec sunt prima verba (111 sq.):

Ex summis opibus viribusque usque experire, nitere,
erus ut minor opera tua servetur. agedum, Acanthio,
abige abs te lassitudinem etqs.

Similiter in Terentii Eunucho Chaerea, cuius nomen spectatores nondum noverunt, haec ad Parmenonem servum dicit (v. 307 sq.):

amo. — hem. — nunc, Parmeno, te ostenderis qui vir sies.
scis te mihi saepe pollicitum esse „Chaerea, aliquid inveni
modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas
meam“ etqs.

In Hautontimorumeni protasi Menedemus Chremeti quomodo filium suum amiserit narrat. Inde a v. 99 haec legimus:

ubi rem rescivi, coepi non humanitus
neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli
tractare, sed vi et via pervolgata patrum.
cottidie accusabam: „hem, tibine haec diutius
licere speras facere me vivo patre,
amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?
erras, si id credis, et me ignoras, Clinia“ etqs.

Quomodo et Chremes et spectatores adulescentis nomen comperiunt. Similiter ipse Clinia spectatores de puellae amatae nomine certiores facit: dicit enim inde a v. 256 illa ipsa absente:

o Juppiter, ubi namst fides?
dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
conlocupletasti te, Antiphila, et me in his deseruisti malis etqs.

Quamquam res fert, ut ex poetarum Graecorum fragmentis huiusmodi exempla plane certa afferri nequeant, tamen non sine aliqua verisimilitudine huc referre mihi videor ea quae ex Menandri fabula Θεοφορουμένη quae inscripta erat Stobaeus servavit (Kock frg. 223); cuius loci versus primi sunt hi:

εἴ τις προσελθών μοι θεῶν λέγοι „Κράτων,
ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσει· κτλ.

Certe argumentum satis bene in fabulae principium quadrat. Conferas ea quae in Aristophaneae Pluti initio Chremylus ipse quoque senex probus — hunc Cratonem senem esse ex Plutarcho

scimus — exponit. — Postremo affero versus illos qui ex Cratini Archilochis sumpti leguntur apud Plutarchum in vita Cimonis X (Kock frg. 1):

κἀγὼ γὰρ ηὔχουν Μητρόβιος ὁ γραμματεὺς
σὺν ἀνδρὶ θείῳ καὶ φιλοξενωτάτῳ
καὶ πάντ᾽ ἀρίστῳ τῶν Πανελλήνων πρὸ τοῦ
Κίμωνι λιπαρὸν γῆρας εὐωχούμενος
αἰῶνα πάντα συνδιατρίψειν. ὁ δὲ λιπὼν
βέβηκε πρότερος.

Quamquam si re vera hic locus eiusdem generis est Cratinum nomini apte nuntiando multo minus operam dedisse statuendum est, quam illos poetas. — Si autem quaerimus quomodo in Aristophanis comoediis spectatores eius qui primus in scaenam procedit nomen comperiant, tres praecipue fabulae in censum veniunt, Acharnenses Nubes Ranae. Duarum priorum condicio plane eadem est. Ὁ προλογίζων non in soliloquio, unde fabula initium capit, sed postea demum ab alio homine, qui eum non novit, interrogatus nomen suum dicit; conferas Ach. v. 406, Nub. 134. Quam apta et pulchra haec ratio sit neminem fugit [1]. Quod autem non nisi post magnam fabulae partem iam actam primae personae nomen spectatores audiunt nihil habet offensionis. Harum enim personarum nomina, ut semper fere in comoediis, nullius momenti sunt, animus autem moresque ex rebus et verbis cognoscuntur. Aliter res comparata est in Ranis, ubi spectatorum plurimum interest scire eum qui cum servo in scaena adsit Bacchum esse. Quamquam autem haec fabula a diverbio orditur, tamen Bacchus ipse nomen suum profert idque eum in modum ex quo optime ingenii Aristophanei pulchritudo cognoscatur. Legas versus inde a 21:

εἶτ᾽ οὐχ ὕβρις ταῦτ᾽ ἐστὶ καὶ πολλὴ τρυφή,
ὅτ᾽ ἐγὼ μὲν ὢν Διόνυσος, υἱὸς Σταμνίου [2],

---

[1] Aliis quoque locis Aristophanes ea usus est. Conferas Eq. v. 1257 (*Ἀγοράκριτος*), Pacis v. 190 (*Τρυγαῖος*), Av. v. 644, 645 (*Πειθεταῖρος, Εὐελπίδης*).

[2] Conferas Euripideae Alcestidis initium:

Ὦ δώματ᾽ Ἀδμήτει᾽, ἐν οἷς ἔτλην ἐγὼ
θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι θεός περ ὤν,

et Andromachae locum inde a v. 117, ubi chorus sic orditur:

ὦ γύναι . . . .
Φθιὰς ὅμως ἔμολον ποτὶ σὰν Ἀσιήτιδα γένναν . . .

αὐτὸς βαδίζω καὶ πονῶ, τοῦτον δ' ὀχῶ,
ἵνα μὴ ταλαιπωροῖτο μηδ' ἄχθος φέροι;

Ut ad finem hanc rem perducam, pauca addenda sunt de sex fabulis integris posterioris aetatis quae ex soliloquio argumentum continente ordiuntur. Atque Terentium vel potius Menandrum quidem in Adelphis artificiosum illud genus usurpasse supra iam diximus. In Plautina Amphitruone Mercurius ipse nomen suum enuntiat, quod fit ex imitatione earum Euripidis fabularum in quibus minus artis hac in re posuit. Idem invenitur aliis in fabulis mythologicis. — In Milite Mercatore Truculento post soliloquium demum ex diverbio spectatores eius qui προλογίζει nomen comperiunt, in Cistellaria ex praecedentis scaenae diverbio iam noverunt.

Tractavimus adhuc duo prologi genera, quorum alterum a diverbio alterum a soliloquio incipit. Addendum autem est poetas interdum ambo inter se iunxisse et confudisse, ita ut argumenti pars exponeretur ab homine qui solus in scaena esset, conficeretur expositio diverbio. Ex Aristophaneis fortasse afferri possit Ecclesiazusae, ex posterioribus huc pertinet Terentiana Adelphoe. Ibi enim argumenti expositio duas in partes divisa est: Micionis soliloquio universa magis personarum indoles atque ingenium describitur, altera autem in scaena, in qua Micio et Demea fratres inter se colloquuntur, singularis aliqua res paulo ante facta, quae ad rem magni momenti est, narratur. Hac ipsa quoque in re poeta comicus secutus est Euripidem, cuius ex fabulis eodem modo comparatae sunt Medea Andromacha aliae. Conferas ea quae Arnimius in libri supra allati p. 95 et sequentibus disseruit.

Transeundum nunc erat ad eas comoedias in quibus argumentum ante ipsam fabulam a persona exponitur quae in fabula partes non agit. Quo de genere cum accurate nunc agi nequeat pauca tantummodo verba faciamus. Sunt illae personae προλογίζουσαι aut prologi proprie sic appellati, quales novimus ex Terentii fabulis omnibus, Plautinarum magna parte, aut divinae vel allegoricae personae. Et cum plerumque ab una huiusmodi persona res narretur, nonnullae sunt fabulae ante quas duarum diverbium poeta posuit. Quo pertinet Plautina Trinummus, nonnulla, ut videtur, ex fragmentis Graecis. Apud Euripidem duo

huius generis exempla inveniuntur, in Alcestide et in Troadibus. Magni autem momenti is quoque locus est qui in Hercule inde a v. 822 occurrit; ibi enim Iris Λύτταν simili modo in domum Herculis ducit quo in Trinummo Luxuria Inopiam ad Lesbonicum.

Deinde iis de rebus agendum est quae non unius alteriusve generum illorum quae attulimus propriae sunt, sed cum universa prologi indole cohaerent. Sunt autem eae in quibus praecipue posita est mutatio illa quam in prologis paulatim fieri videmus. Poetae enim Graeci id agunt, ut eam fabulae partem qua res ad sequentia intellegenda necessariae narrando exponuntur magis magisque a cetera fabula disiungant. — Proficiscendum autem est a tragoedia Euripidea et ab antiqua comoedia, quarum in utraque, quod quidem ad externam speciem attinet, prologus cum fabula cohaeret. Quamquam si ipsam rem spectamus apud illos quoque poetas vestigia non pauca eius quod diximus discriminis iam statui possunt. Sunt autem omnes illi loci quibus is qui προλογίζει non suas in fabula partes agit, sed verba facit poetae loco, qui spectatores ante ipsam fabulam de rebus quibusdam monitos vult. Nonnulla huius generis quamquam tecta apud ipsum iam Sophoclem inveniuntur: in posterioribus enim maxime fabulis (Phil. El.) non desunt loci quibus res proferantur quarum mentio non personarum agentium sed spectatorum causa fit. Multo magis autem hoc elucet in Euripidis fabulis, inprimis in illis quae posteriore aetate actae sunt. Mirum autem discrimen intercedit inter singulas quinti saeculi comoedias: modo enim poetae illi summa cum arte rem instituunt, ita ut omnia quae dicuntur fiuntque ex hominum qui rem agunt indole condicione affectu nascantur neque omnino spectatorum ratio ulla haberi videatur (Ar. Lys. Ran. aliae), modo verisimilitudinem prorsus non curant (Vesp.). — Posterioris autem aetatis poetae comici eo usque procedunt, ut nihil iam vinculi inter prologum et ipsius fabulae tenorem esse soleat.

Iam affero nonnullas earum rerum quae huc pertinent:

Prodit ille qui προλογίζει spectatoribus non modo suum nomen, quam rem supra iam tetigimus, sed etiam aliarum personarum quae aut adsunt (cf. Eur. Herc. v. 9, Suppl. v. 21, Ar. Vesp. 67 sq. 133 sq.) aut postea venient (Eur. Ion 80 sq., comici Phrynichi frg. 1 etc.).

Deinde facies quoque et eorum hominum qui adsunt et eorum qui processuri sunt describitur et explicatur. Conferas praeter locos iam supra allatos (Eur. Hel. v. 420 sq., Teleclidis frg. 31, Plaut. Rud. v. 293, Truc. 463) ea quae leguntur in Eur. Bacch. v. 4 sq.:

μορφὴν δ' ἀμείψας ἐκ θεοῦ βροτησίαν
πάρειμι . . . .,

v. 53 sq.:

ὧν οὕνεκ' εἶδος θνητὸν ἀλλάξας ἔχω
μορφήν τ' ἐμὴν μετέβαλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν.

De absentibus agitur Platonis fragmentis illis ex Nocte longa iam supra allatis, in Ar. Eq. inde a v. 230:

καὶ μὴ δέδιθ'· οὐ γάρ ἐστιν ἐξῃκασμένος (scil. Cleo).
. . . .
. . . . πάντως γε μὴν
γνωσθήσεται· τὸ γὰρ θέατρον δεξιόν,

ubi mireris Demosthenem primo ad isiciarium, deinde ad ipsos spectatores loqui. Praeterea inspicias Vesparum locum inde a v. 214 usque ad v. 227.

Nonnumquam ut ne stupidissimus quidem spectatorum errare possit id quoque exponitur, quid ipsae fabulae personae de rebus narratis sciant, quid ignorent, quae sunt similia. Exempla affero: Eur. Ion 49 sq.:

τὸν σπείραντα δὲ
οὐκ οἶδε Φοῖβον οὐδὲ μητέρ' ἧς ἔφυ,
ὁ παῖς τε τοὺς τεκόντας οὐκ ἐπίσταται,

Iph. A. 106 sq.:

μόνοι δ' Ἀχαιῶν ἴσμεν ὡς ἔχει τάδε
Κάλχας Ὀδυσσεὺς Μενέλεώς τε.

Plaut. Cist. v. 143 sq.:

id duae nos solae scimus, ego, quae illi dedi,
et illa, quae a me accepit, praeter vos quidem.
haec sic res gesta est; si quis usus venerit,
meminisse ego hanc rem vos volo.

Aul. 29 sq.:

is scit adulescens quae sit quam compresserit,
illa illum nescit, neque compressam autem pater.

Poen. 96 sq. — Tales autem res quas ne spectatores animo

confundant periculum est quam accuratissime exponuntur et saepius repetuntur. Conferas Eur. Hel. inde a v. 33:

δίδωσι δ' οὐκ ἔμ', ἀλλ' ὁμοιώσασ' ἐμοὶ
εἴδωλον ἔμπνουν οὐρανοῦ ξυνθεῖσ' ἄπο,
Πριάμου τυράννου παιδί· καὶ δοκεῖ μ' ἔχειν
κενὴν δόκησιν, οὐκ ἔχων.

42: Φρυγῶν δ' ἐς ἀλκὴν προυτέθην ἐγὼ μὲν οὔ,
τὸ δ' ὄνομα τοὐμόν.

Plaut. Mil. gl. v. 150 sq.:

et mox ne erretis, haec duarum hodie [in] vicem
et hic et illic mulier feret imaginem
atque eadem erit, verum alia esse adsimulabitur.

Men. 47 sq.:

ne mox erretis, iam nunc praedico prius:
idemst ambobus nomen geminis fratribus,

Poen. v. 115 sq.:

pater harunc idem huic patruos adulescentulost.
iamne hoc tenetis?

Capt. v. 35 sq., Amph. 110 sq., Truc. 85 sq. — Postremo affero ea quae legimus in Sophocleae Aiacis prologo, ubi poeta quamquam tecte id agit, ut spectatores sciant Aiacem Ulixem etsi adsit non conspicere. Legas versus inde a 66:

δείξω δὲ καὶ σοὶ τήνδε περιφανῆ νόσον,
. . . .
θαρσῶν δὲ μίμνε μηδὲ συμφορὰν δέχου
τὸν ἄνδρ'· ἐγὼ γὰρ ὀμμάτων ἀποστρόφους
αὐγὰς ἀπείρξω σὴν πρόσοψιν εἰσιδεῖν.

83 sq.: ἀλλ' οὐδὲ νῦν σε μὴ παρόντ' ἴδῃ πέλας.
— πῶς, εἴπερ ὀφθαλμοῖς γε τοῖς αὐτοῖς ὁρᾷ;
— ἐγὼ σκοτώσω βλέφαρα καὶ δεδορκότα.

Id quoque ὁ προλογίζων saepe commemorat quo loco illo ipso temporis momento unaquaeque personarum quae in censum veniant sit, quid agat, cur non ipsa adsit aut non progressura sit, quae sunt eius generis. Legas Eur. Heraclid. inde a v. 41:

ἡ δ' αὖ τὸ θῆλυ παιδὸς Ἀλκμήνη γένος
ἔσωθε ναοῦ τοῦδ' ὑπηγκαλισμένη
σῴζει· νέας γὰρ παρθένους αἰδούμεθα
ὄχλῳ πελάζειν κἀπιβωμιοστατεῖν.

Ὕλλος δ' ἀδελφοί θ' οἷσι πρεσβεύει γένος
ζητοῦσ' ὅπου γῆς πύργον οἰκιούμεθα,

Plautinae Cas. locum inde a v. 64:

is, ne exspectetis, hodie in hac comoedia
in urbem non redibit; Plautus noluit;
pontem interrupit, qui erat ei in itinere.

Praeterea huius generis sunt Eur. Andr. v. 41 sq. Or. 60 sq. Phoen. 66 sq. Bacch. 35 sq., Plaut. Rud. 72 sq. Amph. 112 sq.

Eo autem quod haec omnia quam accuratissime et diligentissime exponi solent fit, ut prologorum dicendi genus copiosam atque molestam quandam prae se ferat ubertatem, quae ut apud quinti iam saeculi poetas et tragicos et comicos deprehenditur, ita apud posteriores comicos tantopere crevit, ut summum fastidium creet.

Gravissimum autem eius discriminis quod inter prologum et sequentia intercedit signum hoc est, quod in prologo ea quae postea agenda sunt a poeta ficta esse aperte dicuntur. Quae res cum in antiqua comoedia (cf. Ar. Vesp. v. 55 sq., Eq. 37 sq., Phryn. frg. 1) non desit, saepissime in media et nova occurrit. In fabulis Latinis quot huius generis exempla inveniantur nemo nescit. Unum affero Graecum. Stobaeus ex Heniochi fabula incerta longius fragmentum (Kock II p. 433) servavit, cuius v. 6 sq. hi sunt:

τὸ χωρίον μὲν γὰρ τόδ' ἐστὶ πᾶν κύκλῳ
Ὀλυμπία, τηνδὶ δὲ τὴν σκηνὴν ἐκεῖ
σκηνὴν ὁρᾶν θεωρικὴν νομίζετε κτλ.

Ea autem in re valde offendimus, quod talia non modo in prologis propriis inveniuntur, sed etiam in iis qui a deis pronuntiantur, ita ut ipse deus dei partes non omnino retineat. Sic in Rudentis v. 32 Arcturus haec dicit:

primumdum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit.

Luxuria autem in Trinummo inde a v. 8:

primum mihi Plautus nomen Luxuriae indidit:
tum illanc mihi esse gnatam voluit Inopiam.

Ex Graecorum fragmentis huc spectant ea quae ex Menandri fabula Δύσκολος quae inscripta erat Harpocratio s. v. Φυλή affert (frg. 127):

τῆς Ἀττικῆς νομίζετ' εἶναι τὸν τόπον
Φυλήν, τὸ Νυμφαῖον δ' ὅθεν προέρχομαι
Φυλασίων,

si quidem recte Pana haec recitasse Ribbeckius coniecit.

Cum prologus ille locus esse videretur ubi poeta quid luberet exponere posset, etiam tales res ei insertas videmus quibus cum fabulae argumento aut paulum aut nihil sit. Sic iam in posterioris aetatis tragoediis non desunt loci in initio plerumque positi quibus poeta quid aliqua de re externa sentiat tecte significat. Conferas ea quae in Soph. El. inde a v. 59 leguntur, quamquam obscurum est quam rem poeta spectet. Latissime autem patuit haec res apud poetas comicos. Hi enim id in deliciis habebant, ut non modo in parabasi, sed in prologo quoque eam ipsam fabulam quae agenda erat spectatoribus commendarent, eius praestantiam praedicarent, ipsorum virtutes meritaque et quod ad artem poeticam attineret et in universam rem publicam ostentarent, aliorum hominum non solum poetarum sed etiam alius generis vitia perstringerent atque castigarent. Affero autem huius commentationis in fine unum eius generis locum: Apollonius Dyscolus in libelli περὶ ἀντωνυμίας qui inscriptus est p. 85 (ed. Schneider) haec profert: νὼ μονοσυλλάβως Εὔπολις Μαρικᾷ (frg. 188)·

νὼ γάρ, ἄνδρες, οὐχ ἱππεύομεν.

Quid significent haec verba nemo explicavit, nisi quod Struvius in dissertatione De Eupolidis Maricante sententiam satis miram protulit. Coniungit enim fragmentum 394: ἀναγχιππεῖν· ἀντὶ τοῦ μετ' ἀνάγκης ἱππεύειν· Εὔπολις, quod legitur apud Suidam et Zonaram, eum in modum cum hoc loco, ut Eupolin haec fere in parabasi dicentem faciat:

νὼ γάρ, ἄνδρες, οὐχ ἑκόντες οὐδαμῶς ἱππεύομεν,
ἀλλ' ἀναγχιπποῦμεν . . . .

Significare autem haec chori verba: nos enim, spectatores, non nostra sponte equitamus, sed cogimur ut equitemus. Hoc modo refellere Eupolin opprobrium illud in Nubium parabasi inde a v. 553 sibi ab Aristophane factum, quod Equites in Maricante (Struvius enim haec verba alteri Maricanti dat, quam fabulam bis actam esse nescio unde colligat) turpiter expilasset, cum diceret: nos si Equites imitamur, non de industria sed inviti

imitamur. Vides quam digna talis defensio sit Eupolide poeta acerbissimo. Dualem autem numerum satis inepte Struvius interpretatur: in Maricantis alterius enim parabasi recitanda chorum opinatur distributum fuisse in duos hemichoros, propterea maxime quod poetae interfuisset, ut et priorem editionem defenderet et alteram commendaret spectatoribus. Quas nugas refutare supersedeo. Attuli autem, quod tamen unum illud recte Struvium intellexisse puto spectare ἱππεύομεν vocem ad Aristophanis Equites. Equidem enim si Vesparum locum comparo inde a v. 54:

φέρε νυν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον
ὀλίγ᾽ ἄττ᾽ ὑπειπὼν πρῶτον αὐτοῖσιν ταδί,
μηδὲν παρ᾽ ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,
μηδ᾽ αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.
ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ᾽ οὔτε κάρυ᾽ ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὐθ᾽ Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ᾽ αὖθις ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης.
. . . .
. . . .
ἀλλ᾽ ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον κτλ.

et Equitum inde a v. 36, facere non possum quin credam Eupolidis quoque versum:

⏑ — ⏑ νὼ γάρ, ἄνδρες, οὐχ ἱππεύομεν

desumptum esse e diverbio duorum hominum, qui in fabulae prologo spectatoribus argumentum exponerent. Nam ad spectatores haec dici probatur illa compellatione ἄνδρες. Conferas Av. v. 30: ἡμεῖς γάρ, ὦνδρες, οἱ παρόντες ἐν λόγῳ etc. Parabasi autem ne tribuamus impedit dualis ille numerus. Dicit igitur alter, servus fortasse: nos, o spectatores, non equitamus, id est: hac in fabula non equitabitur, chorus non constabit ex equitibus. Si autem quis opponere volet non satis apte et sane haec dicta esse, cum equitandi munus in Equitibus non servorum, sed chori fuerit, meminerit comici poetae verba tantopere premere non licere. Suscipiunt enim talibus locis ii qui prologum pronuntiant ipsius quasi comoediae partes. Conferas Vesparum locum allatum, qui ipse quoque in servorum condicionem minime quadrat, inprimis inde a v. 58. Aliter comparata est Nubium pars quae est inde a v. 534 usque ad v. 544. Haec si recte disputata sunt, hic quoque locus ad controversiam illam pertinet quae fuit

inter Aristophanem et Eupolin de Equitibus fabula. Qua de re sagaciter disseruit in Hermae vol. XIII Kirchhoffius, a quo tamen nonnullis in rebus dissentio.

EPIMETRUM I

ad p. 12.

Operae pretium est accuratius quaerere quomodo singuli poetae spectatores de choro certiores fecerint. Atque Aeschylus quidem variis modis usus in Prometheo (114 sq.) et Choephoris (10 sq.) rem sic instituit, ut ea persona quae in scaena adest de choro appropinquante nonnulla verba faciat. In Eumenidibus sacerdos e sacro prodiens chori speciem describit; paulo post ipsi spectatores eum conspiciunt. Alius generis sunt ceterae quattuor fabulae: in Septem et Agamemnone chori nulla mentio fit, quoad ipse scaenam ingrediens qualis sit exponit. Idem cadere apparet in Supplices et Persas, quae ab ipsa parodo initium capiant. Quae ratio in posterioribus fabulis sola fere usu venit: sic in Sophoclis fabulis quinque, Ant. Ai. Trach. El. Phil., ubi ne verbo quidem chorus ante parodum commemoratur. Solae hac ab regula discedunt duae Oedipi fabulae. In altera Oedipus (144) contionem convocare iubet; convocati senes paulo post adsunt. In Coloneo autem (78 sq.) ξένος ille paganos suos arcessiturum se esse pronuntiat, ita ut spectatores chorum accedentem satis noverint. — Accurate autem ad normam quandam singulis aetatibus hanc rem exaequavit Euripides. Novem enim in fabulis, quae omnes ante annum 411 fere actae sunt — dico Alc. Med. Hipp. Hec. Herc. Andr. Jon. El. Hel. — plane ut in Aeschyleis quattuor, Sophocleis quinque fit, spectatores de choro prorsus nihil sciunt, donec ipse adest quidque velit narrat. Accedit Iph. Aul., quam ut post poetae mortem demum actam esse constat, ita de tempore quo scripta sit nihil compertum habemus. Plane in contrarium res versa est in omnibus ceteris fabulis post annum 411 actis. Sunt Iph. T. Phoen. Or. Bacch. Ibi enim semper ea persona quae in scaena agit aut chorum paulo post adventurum esse praedicit et quibus ex hominibus

composita futura sit nuntiat (I. T. 63 sq.), aut ingredientem conspicata qualis sit explicat (Phoen. 196 sq., Or. 132 sq., Bacch. 55 sq.). Una addenda est Cyclops, ubi res eodem modo comparata est. Conferas v. 36 sq. Cuius rei causa repetenda est aut ex satyrici dramatis natura a ceteris diversa aut ex actae fabulae tempore, quam quaestionem nunc mitto. Contra in ceteris prioris aetatis fabulis omnibus frustra tale quid quaeres — Iam restant tres: Supplices Heraclidae Troades. Et duae quidem posteriores ea in re inter se congruunt quod chorus a persona aliqua ipsius chori opem implorante excitatus accurrit. In Supplicibus autem, id quod plane singulare est, chorus inde a fabulae exordio in orchestra adest. — Iam de comoediae more est quaerendum. Ubi rem multo aliter comparatam esse miramur. Aristophanis enim — de ceteris poetis nihil fere ex fragmentis discimus — omnibus fere in fabulis populus quales partes choreutae acturi sint antequam ipsi in conspectum veniant comperit. In Acharnensibus Amphitheus (176 sq.) cursu advolans Acharnenses senes statim adfuturos esse nuntiat. Idem Bdelycleo in Vespis (214 sq.) quamquam minus apte: facile enim consilium poetae perspicitur, qui id agit ut spectatores chorum quem paulo post scaena actoribus vacua in orchestram ingredientem visuri sint, statim pernoscant. Qua reprehensione etiam magis digna est Lysistrata, ubi ad chorum haec spectant (247 sq.):

οὔκουν ἐφ' ἡμᾶς ξυμβοηθήσειν οἴει
τοὺς ἄνδρας εὐθύς; — ὀλίγον αὐτῶν μοι μέλει.
οὐ γὰρ τοσαύτας οὔτ' ἀπειλὰς οὔτε πῦρ
ἥξουσ' ἔχοντες ὥστ' ἀνοῖξαι τὰς πύλας κτλ.

Paulo post (v. 253) mulieribus de scaena remotis chorus advenit mulieres igni concrematurum se esse minitans. Legas v. 267 et 269:

ὅπως ἂν αὐταῖς ἐν κύκλῳ θέντες τὰ πρέμνα ταυτί
. . . .
μίαν πυρὰν νήσαντες ἐμπρήσωμεν αὐτόχειρες
πάσας κτλ.

Itaque ut populus quid rei sit statim intellegat, poeta satis mire mulieres id quod unde scire possint difficile est ad intellegendum praenuntiantes facit. — In Equitibus chorus, postquam iam antea (225 sq.) verba de eo facta sunt, auxilio vocatur. Unde sciret ille servus equites auxilio adfuturos esse et ubi chorus antea

fuisse putandus esset et quomodo fieri posset, ut statim praesto esset, haec omnia in Equitibus non curavit poeta comicus. Multo magis verisimilitudini dramaticae, ut ita dicam, operam dedit in Ach. Nub. Vesp. aliis. — Simili modo atque in Equitibus res comparata est in Nubibus. Quod idem fere cadit in Aves et Pacem, ita tamen ut in Pace ex ipsis demum Trygaei chorum advocantis verbis quales sint illi homines cognoscatur (296). — Plane singularis et quae ab omnibus ceteris fabulis longe recedat chori condicio est in Thesmophoriazusis, quae propria parodo prorsus carent, et in Ecclesiazusis, ubi chorus plane eiusdem generis est atque personae illae quae primae in scaenam processerunt. In Ranis autem et ranarum παραχορήγημα et mystarum chorus apte a scaenae personis (v. 205 sq., 312 sq.) introducitur. Idem dicendum est de Pluto, quae ad priores maxime fabulas prope accedit. Pluti enim timore perterriti animum Chremylus his verbis confirmat (215 sq.):

. . . μὴ φρόντιζε μηδέν, ὦγαθέ.
ἐγὼ γάρ, εὖ τοῦτ' ἴσθι, κἂν δέῃ μ' ἀποθανεῖν,
αὐτὸς διαπράξω ταῦτα . . . .
πολλοὶ δ' ἔσονται χἄτεροι νῷν ξύμμαχοι,
ὅσοις δικαίοις οὖσιν οὐκ ἦν ἄλφιτα.

Quae iis similia sunt quibus Demosthenes in Equitibus isiciarium cum Cleone pugnare dubitantem incitat (225 sq.):

ἀλλ' εἰσὶν ἱππῆς ἄνδρες ἀγαθοὶ χίλιοι
μισοῦντες αὐτόν, οἳ βοηθήσουσί σοι,
καὶ τῶν πολιτῶν οἱ καλοί τε κἀγαθοί,
. . . .
κἀγὼ μετ' αὐτῶν χὠ θεὸς ξυλλήψεται.
καὶ μὴ δέδιθι κτλ.

Deinde servus chorum ex Chremyli paganis compositum arcessere iubetur.

Iam si reputamus eam rationem quam Euripides e prioribus fabulis nulli adhibuerit et tragici poetae omnino satis raro usurpaverint apud comicos semper in usu fuisse, facile eo inclinamus, ut Euripidem cum prorsus aliam viam ingrederetur comoediae quoque exemplum ante oculos habuisse arbitremur.

EPIMETRUM II

ad p. 38.

Apud Athenaeum XIV 659c haec leguntur (K. III p. 336): ἀλλ' ὅ γε Ποσείδιππος περὶ δούλων μαγείρων ἐν Ἀποκλειομένῃ φησίν·

ταυτὶ μὲν οὖν τοιαῦτα. συμβαίνει δέ τι
νῦν μοι διακονοῦντι παρὰ τῷ δεσπότῃ
ἀστεῖον· οὐχ ἁλώσομ' ἐκφέρων κρέας.

Iam supra adnotavimus servum in antecedentibus versibus non modo de condicione sua sed de totius fabulae argumento egisse videri. Quid autem praecesserit partim saltem ni fallor coniectura assequi possumus. Dicit enim ille, cum non liber sit, sed domino serviat, non esse periculum, ne carnem e domo auferens deprehendatur, immo intus se et furaturum et comesurum esse. Iam si conferimus ea quae paulo ante apud Athenaeum leguntur (658f sq.): οὐδὲ γὰρ ἂν εὕροι τις ὑμῶν δοῦλον μάγειρόν τινα ἐν κωμῳδίᾳ πλὴν παρὰ Ποσειδίππῳ μόνῳ, non sine aliqua verisimilitudine suspicari possumus tale quid servum antea protulisse: ceteri coqui qui in comoediis procedunt, liberi sunt homines; me autem Posidippus servum esse voluit, ita ut Athenaei illud hoc ipso ex prologo fluxisse putandum sit. Hoc enim eo quoque probatur, quod non verum esse videtur; nam vix quisquam putabit hominem liberum eum coquum esse qui partes egit in Archedici Thesauro. Conferas Athenaeum VII 294b: Ἀρχέδικος δ' ἐν Θησαυρῷ παράγει τινὰ μάγειρον λέγοντα, περὶ ὧν ὠψώνηκεν αὐτός (Kock III p. 277)·

δραχμῶν τριῶν γλαυκίσκον . . . . .
γόγγρου κεφαλὴν καὶ τὰ πρῶτα τεμάχια
δραχμῶν πάλιν πέντ'· ὢ ταλαιπώρου βίου.
δραχμῆς τραχήλους· ἀλλὰ νὴ τὸν ἥλιον,
κἀμοὶ τράχηλον ἕτερον εἴ ποθεν λαβεῖν
ἦν καὶ πρίασθαι δυνατόν, ὃν ἔχω τοῦτον ἂν
πρὶν εἰσενεγκεῖν ταῦτα δεῦρ' ἀπηγξάμην.
οὐθεὶς δεδιακόνηκεν ἐπιπονώτερον.
ἅμα μὲν πρίασθαι πολλὰ καὶ πολλοῦ σφόδρα,
ἅμα δ' εἴ τι χρηστὸν ἀγοράσαιμ', ἀπωλλύμην.
„κατέδοντ' ἐκεῖνοι", τοῦτο πρὸς ἐμαυτὸν λέγω,
„διαπυτιοῦσ' οἶνον δὲ τοιοῦτον χαμαί".
οἴμοι.

Quae multo minus in hominis liberi quam in servi condicionem quadrant, qualis est ille quem in Menaechmis ab obsonatu redeuntem audimus (274 sq.):

Bene opsonavi atque ex mea sententia:
bonum anteponam prandium pransoribus.
sed eccum Menaechmum video. vae tergo meo:
prius iam convivae obambulant ante ostium,
quam ego opsonatu redeo.

Similiter alio fragmento ille Archedici coquus queritur (Athen. VII 292e):

πρῶτον ὠμῶν κειμένων
τῶν ἰχθύων πάρεισιν οἱ κεκλημένοι κτλ.

Itaque satis veri simile est, id quod supra coniecimus, Athenaei illa non grammatici alicuius iudicio niti, sed desumpta esse ex ipso poeta, qui veritatem non ita curabat. Hac autem ex re apparet quam incerta sit Ladewigi coniectura (Philol. I p. 288) qui Athenaei hoc loco nisus Menaechmos, qua in fabula coquus servus prodit, ex Posidippi exemplo expressam esse contendit. — Talia autem qualia in Posidippi illo prologo fuisse coniecimus saepissime occurrunt in prologis comicis. Legas Plaut. Merc. versus primos (ed. Goetz):

Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
et argumentum et meos amores eloquar;
etsi hoc parum hercle more maiorum institi,
pro mea persona ut sim ad vos index ilico.
12 sq.: *non ego item facio, ut alios in comoediis*
vi vidi amoris facere, qui aut Nocti aut Dii
aut Soli aut Lunae miserias narrant suas.

In Amphitruonis prologo Mercurius haec profert (41 sq.):

nam quid ego memorem (ut alios in tragoediis
vidi, Neptunum Virtutem Victoriam
Martem Bellonam, commemorare quae bona
vobis fecissent) . . . .

In Menaechmorum prologo inde a v. 7 haec leguntur:

atque hoc poetae faciunt in comoediis:
omnis res gestas esse Athenis autumant,
quo vobis illud graecum videatur magis.
ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur.

Ut ceteros huius generis locos praeter unum nunc praetermittam,

ex simili contextu Menandrea quoque illa deprompta esse mihi videntur quae Plut. de audiend. poet. 19a affert: καθάπερ ὁ Μένανδρος ἐν τῷ προλόγῳ τῆς Θαΐδος πεποίηκεν (frg. 217)·

ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεά,
θρασεῖαν ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα,
ἀδικοῦσαν ἀποκλείουσαν αἰτοῦσαν πυκνά,
μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί.

Totum enim locum talem fere fuisse persuasum habeo: alii poetae in fabulis suis meretrices inducunt bonas dignasque quae ex animo amentur. sed nugantur illi: nulla enim est meretrix bona atque fida: immo omnes summis vitiis obrutae sunt. ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην etqs. — Quemnam autem Menander haec cum scriberet, sive nomen commemoravit sive, quod multo magis veri est simile, in universum dixit, e veterum sententia praecipue spectaverit ex antiqua narratiuncula nisi fallor discitur quam legimus apud Athenaeum XIII 594d: ὅτι δὲ καὶ Μένανδρος ὁ ποιητὴς ἤρα Γλυκέρας κοινόν· ἐνεμεσήθη δέ· Φιλήμονος γὰρ ἑταίρας ἐρασθέντος καὶ χρηστὴν ταύτην ὀνομάσαντος διὰ τοῦ δράματος, ἀντέγραψεν Μένανδρος ὡς οὐδεμιᾶς οὔσης χρηστῆς. Quae fabella ex ipso Thaidis prologo hausta esse mihi videtur. Nam quin grammaticorum fabricam redoleat nemo, puto, dubitabit. Id enim homines doctissimi illi in deliciis habebant, ut ex ipsis poetarum versibus qui huic rei ansam darent id genus de privatis eorum rebus fabellas confingerent. Quod nemo saepius expertus est quam Euripides.

EPIMETRUM III

ad p. 52.

Quomodo in fabulis Euripideis spectatores nomen eius qui προλογίζει comperire soleant supra exposuimus. Sophocles quinque in tragoediis ita instituit ut altera duarum personarum quae primae in scaenam progrediuntur ordiatur ab alterius nomine proferendo; paulo post illa respondet et plane eodem modo in responsi initio illius nomen ponit. De Trachiniis videas adnotationem in p. 52. Oedipi autem regis initium, quod accuratius tractare liceat, hoc est:

Ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή,
τίνας ποθ᾽ ἕδρας τάσδ᾽ ἐμοὶ θοάζετε
ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι;
πόλις δ᾽ ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει,
ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων.
ἁγὼ δικαιῶν μὴ παρ᾽ ἀγγέλων, τέκνα,
ἄλλων ἀκούειν, αὐτὸς ὧδ᾽ ἐλήλυθα,
ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος.
ἀλλ᾽ ὦ γεραιέ, φράζ᾽, ἐπεὶ πρέπων ἔφυς
πρὸ τῶνδε φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε;
δείσαντες; ἢ στέρξαντες ὡς θέλοντος ἂν
ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν; δυσάλγητος γὰρ ἂν
εἴην τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτίρων ἕδραν.

Respondet sacerdos:

ἀλλ᾽ ὦ κρατύνων Οἰδίπους χώρας ἐμῆς κτλ.

Itaque non sine pulchro acumine Oedipus ipse nomen suum pronuntiat. Fluxit autem haec nominis mentio nisi vehementer fallor ex Aeschyli imitatione. Persuasum enim habeo Sophocli hoc initium componenti ante oculos fuisse exordium Aeschyleae Septem adv. Thebas. In utraque fabula ineunte adsunt una persona et caterva (est παραχορήγημα). Rex Thebanorum orationem ad populum habet. Civitas magna calamitate afflicta est. Summa autem fabulae ea est, ut ipsa civitas solvatur, maximam autem in calamitatem unus trahatur rex inopinatus. Quae omnia cum solis his duabus fabulis communia sint et a ceterarum fabularum et Aeschylearum et Sophoclearum indole multum distent, certum mihi videtur Sophoclis oculis Aeschyli fabulam obversatam esse. Quod dicendi quoque genere confirmatur. Appono Septem fabulae initium:

Κάδμου πολῖται, χρὴ λέγειν τὰ καίρια
ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως,
οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ.
εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεοῦ·
εἰ δ᾽ αὖθ᾽, ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι,
Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν
ὑμνοῖθ᾽ ὑπ᾽ ἀστῶν φροιμίοις πολυρρόθοις
οἰμώγμασίν θ᾽, ὧν Ζεὺς ἀλεξητήριος
ἐπώνυμος γένοιτο Καδμείων πόλει.

Itaque in utriusque fabulae versu primo cives appellantur ex

urbis conditore. Deinde uterque locus ab eadem fere sententia incipit: mihi maxime salus civitatis curae est, nam, pergit Eteocles, si res male cadet, in me, Eteoclem, omnes culpam conferent; aliter Oedipus: itaque, inquit, ipse huc processi, ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος. — Pergit Eteocles:

ὑμᾶς δὲ χρὴ νῦν, καὶ τὸν ἐλλείποντ' ἔτι
ἥβης ἀκμαίας καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ,
βλαστημὸν ἀλδαίνοντα σώματος πολὺν κτλ.

Simili modo singulae aetates a sacerdote in Oedipi initio commemorantur (v. 16 sq.):

οἱ μὲν οὐδέπω μακρὰν
πτέσθαι σθένοντες, οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς.

In orationis fine Eteocles ad civium animos confirmandos quomodo iam eorum saluti providerit nuntiat. Legas v. inde a 35:

εὖ τελεῖ θεός.
σκοποὺς δὲ κἀγὼ καὶ κατοπτῆρας στρατοῦ
ἔπεμψα, τοὺς πέποιθα μὴ ματᾶν ὁδῷ·
καὶ τῶνδ' ἀκούσας οὔ τι μὴ ληφθῶ δόλῳ.

Similiter Oedipus supplices consolatur. Conferas versus inde a 68:

ἣν δ' εὖ σκοπῶν εὕρισκον ἴασιν μόνην,
ταύτην ἔπραξα· παῖδα γὰρ Μενοικέως
Κρέοντ', ἐμαυτοῦ γαμβρόν, ἐς τὰ Πυθικὰ
ἔπεμψα Φοίβου δώμαθ', ὡς πύθοιθ' ὅ τι
δρῶν ἢ τί φωνῶν τήνδε ῥυσοίμην πόλιν.
. . . .
. . . .
. . . .
ὅταν δ' ἵκηται, τηνικαῦτ' ἐγὼ κακὸς
μὴ δρῶν ἂν εἴην πάνθ' ὅσ' ἂν δηλοῖ θεός.

Cum autem Eteoclis oratio satis longa esset, poetae intererat, ut ante nuntii in v. 39 appellationem nomen iam proferendum curaret, quod non inepte fecit. Sophocles autem, quamquam compositio exordii Oedipi hoc non postulabat (nam in 14 iam versu Oedipus appellatur), hanc nominis quoque mentionem ex Aeschylo desumpsit, ita autem ut neque putide eum compilaret, et qua erat ingenii virtute pulchre et apte rem gereret.

Aliud huius generis dicendi exemplum apud Sophoclem inveni unum: commemoratione autem dignum est quod hoc occurrit

in altera fabula quae versatur in Oedipi sorte. Oedipi Colonei hoc est principium:

Τέκνον τυφλοῦ γέροντος Ἀντιγόνη, τίνας
χώρους ἀφίγμεθ', ἢ τίνων ἀνδρῶν πόλιν;
τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν καθ' ἡμέραν
τὴν νῦν σπανιστοῖς δέξεται δωρήμασι; .

Inde a v. 14 Antigone respondet: πάτερ ταλαίπωρ' Οἰδίπους κτλ.

Restat ut gratias agam quam maximas Georgio Kaibel, praeceptori humanissimo, qui ut semper studiis meis benigne favit, ita huius quaestionis et auctor et dux fuit.

Corrigenda.

p. 1 adn. v. 3: pro 5 lege 8.
p. 18 v. 10: pro Tibicina lege Tibicinis.
p. 38 in fine: Anaxandridis Nereus non numeranda est inter tragicomoedias.

INDEX.